




M I F E P L


1 6 4 3

Ch^b
Sammelband 57









- I**ndice operum quae in hoc volumine continuntur.
- 1** Sermones Hildegardis Taurini Archiepiscopae;
 - 2** Summaria locorum Theologorum H.W. Helmii Lysiori;
 - 3** Pastor conformatus Hieronimi Büllingeri;
 - 4** Comma Theologiae D. Hieronimi Rebengi;
 - 5** Synopsis Chronologica rerum harmonia
ut et f. Christi Norberti Martini Stephanini;
 - 6** De pace pacemque differentiarum quoniam
sive contra d. Joachimi Schauberg f. V.D.
 - 7** Lipsia Paradiseus: et Gaufridi Aude
marchionis propter Paradiseum. Formae et He
brii;
 - 8** Oratio uero de: prior de arce Noachi: posterior
de Christo de: D. Balduino, Meissensi,

343e 294

Gemma Theologica:
HOC EST,
BREVIS ET FACILIS
L O C O R U M
SS^{ta} THEOLOGIÆ
COMMUNIUM IN-
STITUTIO:

In illustri Schola Nassovica Herbor-
nensi *didacticè* proposita,
atque


In Collegio Theologico x l. Disputa-
tionibus *elencticè* exposita


A B
HERMANN O RAVENS PERGER O,
Sigen. Nassov. Theol. D. & Profess.

Semestri astivo 1611.



Herbornæ Nassoviorum.





ILLUSTRI AC GE-
NEROSISSIMO HEROI
ET DOMINO, DN. JOHANNI
seniori, Comiti Nassoviae, Cattimeli-
bocorum, Viandę & Decii, Domino in
Beilstein, &c. Domino suo clementis-
simo &c.

Si quis miretur, *Illustris ac Genero-*
sissime Comes, Domine clementissi-
me, quas ob res hanc Gemmam me-
am theologicam illustri T. Gratias nomini inscri-
bam, qui tamen ante biennium eidem disputa-
tionem meam inauguralem inscriperim: is hoc
responsi feret, factum hoc meum nec singulari
causa, nec sacro carere exemplo. Causa quidem
illa est, quod partim G. T. clementem in me fa-
vorem interea temporis plus satis sensi, partim
G. T. benignissimam erga me affectionem mihi
constanter persuadeo. Exemplum in sacris in

A ij

eadem causa occurrit manifestissimum. Lucas enim Evangelista Theophilo primariæ nobilitatis viro præstantissimo inscrisit & dedicavit non solum historiam Evangelicam, hoc est, dictorum & factorum Iesu Christi, sed etiam librum in quo descripta continentur ACTA SANCTORUM APOSTOLORUM, Luc. i. v. 3. & 4. Act. i. v. 1. Quum igitur factum hoc meum nec ratione sufficienti, nec exemplo Bibliorum evidenti careat, omnino confido, id nullum sincerum & candidum posse carpere, & G. T. in optimam partem velle accipere. Deus Opt. Max. G. T. Spiritu prudentiae & fortitudinis adsit, omniq; è Zione benedictionum genere quam cumulatissimè ornet & adaugeat. Script. Herborn. Calend. Septembr. Anno, DVC Me IehoVa.

Generositatis Tuæ

humiliter observantiss.

Herman. Ravensperger
Sigenensis.

5

IN GEMMAM THE-
OLOGIÆ

ETIGRAMMA

Johannis Piscatoris SS. lit. in schola
Herborn. Professoris.

*IN pretio gemma est rutilans splendente colore:
Et recreat sanos luce micante oculos.
Sic meritò in pretio est doctrina & hac lucida gemma:
Namq; oculos mentis recreat illa pia.*

�ନ୍ତରୀଳରେ ଅନ୍ତରୀଳରେ ଅନ୍ତରୀଳରେ ଅନ୍ତରୀଳରେ

IN LUCULENTISSIMAM CLA-
RISS. D. THEOLOGIÆ DN. H E R-
MANNI RAVENSPERGERI, Professoris
Herbornensis, Gemmam Theologicam, R A-
PHAE LIS EGLINI ICONII, Tigurini, Do-
ctoris Theologi Marpurgensis,
avleximov.

*Gemma coloratis quis te portavit ab Indis?
Quis maris elegit littore téverubri?
Fallor, an Herbornæ, Domini de fonte, petita es?
RAVENSPERGERI perq; polita manu?*

A iiij

Unio nunc candens, nunc gramineusq; Smaragdus,
 Nunc Adamas, claro Jaspide contigo:
Chrysolithus, vel Beryllus, flavénsue Hyacintius,
 Nunc Amethystus, Onyx, Chrysoprasusq; mi-
 cans.

Sardonius, pulchérve Topazus, quiq; imitatur
 Æthera Sapphyrus lumine cœruleo;
 Et Carbunculus, aut salia, quas pectus Aronis
 Distinctè gemmas condecorasse liquet:
 Aut quales statuunt Urbis fundamina Sanctæ,
 Quas pater inscriptas nomina Apostolica.
Hic URIM & THUMMIM, Perfectio, Lumen &
 ipsum;

Hinc responsa Deus significando dedit.
 Talia GEMMA refert tua, præclarissime Doctor,
 HERMANNE, ex toto Codice lecta Sacro:
 Digesta in Methodum, concinnoq; ordine posta,
 Fert auro inclusum cœl lapidem articulus.
 Hinc tibi grande decus peperisti, & nomen in
 avum,

Grandius in reliquos verum opera pretium est.
 Non tibi, quas solvat, dignas GERMANIA grates
 Nostra habet: ipse dabit Rector Olympiacus,
 Immarcessibili cingens tua tempora vitta,
 Et gemma eterna & frondis honore caput.

Francobergæ 27. Julii. 1611.

•06):(\$0

¶

IN

5

�ଙ୍ଗ ଅନ୍ତରେ ଅନ୍ତରେ ଅନ୍ତରେ ଅନ୍ତରେ ଅନ୍ତରେ

IN GEMMAM REVERENDI ET
clarissimi viri, Dn. HERMANNI RAVENS-
PERGERI, SS. Theologiae Doct. & in illustri Nas-
sovica-Herborn. ejusdem Professoris di-
gnissimi, amici mei in since-
ritate intimi.

Pampino veluti florent in palmito gemmae,
Indeque latitia dona redire jubent.
Stellante quo veluti gemmâ contexta corona
Fulget, quo est capiti gloria magna suo:
Sic tua gemma suo, RAVENSPERGERE, nitore,
Nubila de tristi pectori abesse jubet.
Hanc lege quisquis aves sedati pectoris esse,
Gemma tibi fidei CHRISTUS in hacce niter.
Quod si peccati tenebra tua lumina vexant,
Hac illas procul hinc pellere gemma potest.

Henricus Gutberlēth Phi-
losophiæ Professor.



A iiiij



N O M I N A S T U D I O S O R U M
qui seq. ordine per sortem constituto
responderunt.

1. Georgius Claphouvverus Geldro-Borcoloënsis.
2. Henricus Pithan Nassovio-Sigenensis.
3. Matthæus Tornomannus Francofurtensis.
4. Johannes-Georgius Isenburgico-Büdingensis.
5. Johan-Christophorus Kesselerig Helvetio-Tiguri-nus.
6. Johannes Litomil Bohemo-Litomislenus.
7. Samuel Gessinius Bohemo-Pragensis.
8. Felix Bilvillerus Helvetio-Sanctgallensis.
9. Matthæus Titus Moravo-Stražniciensis.
10. Johan-Huldricus Hanhardus Helvetio-Tiguri-nus.
11. Johannes Amos Moravo-Nivvniczensis.
12. Johan-Ludovicus Sengelius Nassovio-Tillenber-gensis.
13. Gotfridus Mylander Montano-Elyfeldensis.
14. Michaël Dilesius Franco-Biberanus.
15. Gotfridus Coriarius Nassovio-VValbacensis.
16. VVilhemus Pistorius Juliaco-Grevenbruchensis.
17. Petrus Lahr Juliaco-VVassenbergensis.
18. Johannes Badus Coloniensis.
19. Zacharias Newhof VValdgirmensis ad Lanum.
20. Philipp. Valent. Beuter Solmejo-Braunfelsensis.



P R O-

9

PROLOGUS,
CONTINENS
CONSILIUM
DE LOCIS THEOLOGIÆ COM-
MUNIBUS RECTE INFOR-
MANDIS.

Locorum SSæ Theologiæ informatio sive tractatio consistit in legitimo eorum APPARATU & usu.

2 Apparatus duabus constat partibus, ORNAMENTO & METHODO.

3 Ornamentum est duplex: Unum SCRITURÆ, alterum STRUCTURÆ.

4 Scriptura esto pura, & vel diverso colore, vel discrepante charactere distincta. Impuritas enim legendi & relegendi tollit desiderium: unus idemq; color, similisq; ubique character memoriæ impedit subsidium.

5 Ornamentum structuræ, hoc est, quod ipsam Locorum Communium commendat fabricam, duplex est; Moderata BREVITAS & ACCEPTA PERSPICUITAS: quibus repugnant Nimiria PROLIXITAS & Affectata OBSCURITAS: quorū utrumq; Lectorem macerat & perturbat.

A v

6 Ut moderata sit brevitas, principales & insigniores controversiae à minus - principalibus sunt distinguendæ: Illæ certis aphorismis seu paragraphis perstringendæ : Hæ exegesibus seu commentariis reservandæ.

7 Hoc pacto & inanis redundantia sive ταυτολογία quâ nihil odiosius: & fraudulentia doctrinæ mutilatio sive decurtatio, qua nihil est malignus, facile evitabitur. Illo autem quod posuimus præcepto observato, si nihilominus tractatus excrescat, istud Martialis lib. 2. Epig. cogitandum.

Non sunt longa, quib. nihil est, quod demere possit.

8 Accepta perspicuitas multis putatur difficultas, cùm simul attendenda est brevitas. Horat.

————— *Brevis esse labore,*
Obscurus fio. —————

9 Opus igitur est studio & exercitatione, ut stylus tuus sit elegans, planus & fluidus: Cavenda verò in primis puerilis illa in antiquatis & in usitatis vocabulis itemq; obscuris, tenebris & barbaris terminis, oblectatio.

10 Hæc de ornamentis: METHODUS theologica est legitima tum TITULORUM tum DOCTRINÆ dispositio: & respectu illorum dicitur ORDINATIO, respectu vero hujus communiter TRACTATIO.

11 Titulorum theologicorum congruè ordinantur. Alii GENERALES; quorum singuli singulis

P R O L O G U S.

ii

lis capitibus continentur, & vulgo Loci nominantur.

Alii SPECIALES; quorum singuli singulis §.§. cum subjecto commentario comprehenduntur & commodè subtituli dicuntur.

12 DOCTRINA THEOLOGICA concinna (nostro judicio) tractatur: 1. per textum. 2. per commentarium.

13 Textus est: 1. Compendiosus & nervosus. 2. Facilis intellectu, & si fieri potest, ob memoriam, harmonicus. 3. Methodicus & transitio-
num vinculis aptè catenatus, ita ut in tabulam nullo negotio redigi possit. 4. Subjectis eadem paginæ cellulâ seu facie notis explanatus & in controversum ac non-controversum distinctus: Prior enim semper: posterior rarius COMMENTARIO opus habet.

14 Commentarius continet amplificationem & exegesin textus: Estq; (in materiis scilicet controverbis) duplex: DIDACTICUS & ELENCTICUS: prior de veritate: posterior pro veritate.

15 In priori tria diligenter sunt attendenda: EXPLICATIO, CONFIRMATIO, ILLUSTRATIO.

16 Explicationis tria sunt officia:

1. Statum controversiæ rectè formare; Authore simul, origine & occasione, si fieri possit, heterodidascalicæ indicatis.

2. Omnem verborum ambiguitatem, phra-

A vj

sium homonymiam, & terminorum obscuritatem tollere.

3. Affines & cognatas propositæ controversiæ quæstiones brevissimè notare.

17 Confirmatio est veritatis demonstratio: Estq; duplex: Infallibilis & Probabilis.

18 Infallibilis desumitur, vel ab expressis canonice scripturæ testimoniis, vel à deductis ex eadem argumentis.

19 Probabilis veritatis confirmatio petitur
1. E libris Bibliorum apocryphis. 2. Piorum conciliorum decretis. 3. Sanctorum Patrum dictis.
4. Ecclesiæ actis & historiis. 5. Antiquorum & Neotericorum Philosophorum placitis. 6. Adversariorum confessionibus &c.

20 Illustratio est doctrinæ per illustria & generosa similia declaratio.

Similia non sunt veritatis apodictica firma-
menta, sed præclara (si fuerint apposita) orna-
menta. Quod enim similia sacra etiam firmant,
id non quatenus & in quantum similia, sed alienâ
authoritate, nimirum Spiritus sancti à quo
sunt usurpata, præstant.

21 Unum est, lector, de quo monendus es,
quodq; probè notabis.

Ordinem commentarii quem recensuimus,
non nimis anxiè ubivis observabis. Id enim neq;
facilitas doctrinæ semper requirit; nec res quælibet
eam tibi facultatem præbet.

Hoc

P R O L O G U S.

13

Hoc igitur tuæ discretioni relinquitur. In materiis enim controversis supervacaneus est commētarius elencticus. Ubi phrases & termini sunt clari, quid opus est terminorum explicatione?

22 Hæc de commentario didactico : Elencticus continet Objectiones Heterodoxorum, & Responsiones Orthodoxorum.

23 Objectiones describantur ex scriptis ipsorum adversariorum vel plurium, vel, pro re natâ, unius; idque aut summatim, aut pro ratione circumstantiarum , plenè. Responsiones sunt, Generales in Canonibus & Distinctionibus: Speciales in accurato certarum objectionum examine.

24 Hactenus de Apparatu locorum S. Theol. communium:

Usus eorundem est duplex : SOLIDA SCIEN-
TIA, & BONA CONSCIENTIA.

25 Scientia theologica, Domino benedicente, acquiritur PRECE & LABORE. Labor consistit comprimis in eloquiorum divinorum OBSERVATIONE, & observatorum CONSERVATIONE.

26 Observata autem CONSERVAMUS vel in mente seu ipsa memoria, vel in memorie aliquo subsidio sive præsidio.

27 Prior illa ratio principalior quidem & prestantior, at vix possibilis est. Major enim est re-

A vij


rum theologicarum copia, quām ut possit ab ullius hominis memoria, utut felicissima, *dīstinctē* & *fideliter* retinerti.

28 Et si maximē sit aliquis tā felici memoriā præditus, per quam possit omnia fideliter retinere, tamen nec ille idem, nec ullus hominum tam est felix, ut non sit obnoxius istis casibus qui memoriam affligunt & extinguunt, quales sunt, animi perturbatio, corporis morbi, senectus &c.

29 Altera igitur scientiæ *conservatio* subsidiaria assumenda est, nimirum Locorum communium collectio, quæ mater & lumen est intellectus & memoriæ, & ingentem tum in privatis colloquiis, collationib. & aliis exercitiis, tum in publicis disputationib. cōcionib. & aliis negotiis sacrī, utilitatē p̄bet; unde insignes titulos, videlicet. Armillæ aureæ, Thesauri, Promptuarii, Alvearii, Florilegii & Bibliothecæ, quæ uno volumine capi, & quasi supellex multorum librorum circumferri potest &c. passim apud doctores obtinet.

30 Alter usus L.C. S^ta Theologiæ est bonæ conscientiæ acquisitio ac fruitio. Ideo enim sacrorum & divinorum mysteriorum scientiam observando & conservando desideramus, ut juxta eam credendo credenda, & faciendo facienda, bonâ conscientiâ, unde nascitur in hac vita constans consolatio, in altera vita perfecta beatitudine, fruamur,

A M E N.



GEMMÆ THEOLOG.

T I T U L U S I.

D E S A C R A S C R I P T U R A.

Sancta Theologia est sacræ Scripturæ sapiens
INTELLECTUS & prudens Usus.

Iacob. 1. v. 22.

2 Sacra Scriptura est EPISTOLA Dei ad ho-
minem, cuius cognitio versatur circa illius con-
ditionem & partitionem.

2. Pet. 1. v. 21.

3 Conditio sacræ Scripturæ explicatur ab ejus
Authoritate & Utilitate.

4 Authoritas Scripturæ est ejus vigor & valor,
quo tum Authentica, tum Perfecta dicitur.

5 Authentia perspicitur, partim ex divinâ
quâ gaudet origine *a*: partim ex evidenti quam
apud nos obtinet certitudine *b*.

a 2. Tim. 3. v. 16. b Psal. 93. v. 5.

6 Divina Scripturæ origo determinat, & qui
libri & in qua lingua sint canonici.

7 Ii libri omnes & soli sunt canonici, qui à Spi-
ritu sancto sunt inspirati *a*; à Prophetis & Apo-
stolis exarati *b*; & Ecclesiæ hoc fine, ut sint cùm
Credendorum, tum **Faciendorum** regula *c*, de-
mandati.

a 2. Pet. 1. v. 21. b 2. Pet. 3. v. 2. c Act. 24. v. 14.

16.

T I T U L U S I.

8 Hi ipsi libri non in quibusvis linguis sunt canonici, sed in iis tantum, in quibus per Prophetas & Apostolos, tanquam Dei legatos & notarios sunt proditi.

9 Certitudo Scripturæ à nobis colligitur, partim ex Argumentis, partim ex Testimoniis.

10 Argumenta alia Scripturæ adhærent: ut, Antiquitas *a*; invictum veritatis robur *b*; consensus piorum alioqui etiam dissidentium *c&c*; alia inhærent, ut doctrinæ Majestas & Sanctitas *d*; pulchra & admirabilis omnium inter se partium harmonia *e*; certissimum prophetiarum complementum *f&c*.

a 2. Pet. 1. v. 21. *b* Act. 9. v. 5. *c* Act. 15. v. 36. ad finem.

d Ps. 12. v. 7. *e* Ps. 93. v. 5. *f* Matth. 5. v. 18. Luc. 16. v. 16.

11 Testimonia sunt duo: unum *Externum*, alterum *Internum*.

12 Externum rursum duplex est: primum *Ecclesia*, secundum ipsius *Scripturæ*.

13 Ecclesiæ testimoniu[m], est ejus ministerium, quo autoritatem Scripturis divinitus inditam agnoscit, agnitam custodit, promulgat & propugnat. 1 Tim. 3. v. 15.

14 Scripturæ ipsius testimonium, est constans illud omnium sacerorum librorum elogium, quo partim Deus totius Scripturæ AUTHOR statuitur *a*, partim Scriptura prior ac vetus per subsequentem ac novam asseritur *b*.

a 2. Tim. 3. v. 16, 2. Pet. 1. v. 21. *b* Luc. 16. v. 29. & c. 24.

v. 27. & 44. 2. Pet. 3. v. 15.

15 Inter-

D E S. S C R I P T U R A. 17

15 Internum testimonium est dictamen Spiritus sancti, qui uti veritatis in SCRIPTURIS est AUTHOR, ita ejusdem in NOBIS gratosus EFFECTOR, quum eam intus luce supernaturali ita spiritui nostro persuadet & pectoribus nostris obsignat, ut plenè deprehendamus & verè credamus incluctabilem illam Scripturarum certitudinem.

Rom.8.v.16. 1. Cor.2.v.12. 1. Ioh.5.v.6.

16 Hæc de Scripturæ Ærθēvñæ: Perfectio ejus in eo consistit, quod omne Dei verbum nobis ad salutem necessarium continet a, & nullo additamento verbi non-scripti indiget b, quin etiam traditiones humanas extra verbum Dei scriptum periculosè recipi & frustrè observari, manifestè c docet.

a Deut.4.v.2. Psal.19.v.8. b Ioh.20.v.ult. c Proverb. 30.v.5. &c v. Matth.15.v.6. Apoc.22.v.18.

17 Haec tenus de S. Scripturæ authoritate: Utilitas ejus permagna est, sive Doctrinam sive Vitam hominis species.

18 Doctrina in Scripturis sana proponitur, & defenditur; Erronea, redarguitur & refellitur; Vita, pia mandatur, impia prohibetur: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instruatur. 2.Tim.3 v.16 & 17.

19 Huic Scripturarum utilitati consequendè, duplex à Deo datum est medium, unum Scripturis adjunctum, alterum nobis injunctum.

18

T I T U L U S III.

20 Illud est perspicuitas, quâ sacra dogmata ad salutem necessaria aperte satis traduntur & perspicue proponuntur *a*: tametsi à nobis tardè capiuntur & difficulter *b* intelliguntur.

a Psal. 19. v. 8. & 9. item 119. v. 105. *b* 1. Cor. 13. v. 9. & 12.

21 Istud est vel singulare Doctorum; puta Scripturarum *interpretatio a*, quæ in Ecclesia non modò valde utilis, sed etiam maximè necessaria est, sive ea sit Metaphraistica, sive Paraphraistica, sive Exegetica: vel commune omnium; videlicet Scripturarum *lectio*, quæ non modò Literatis, sed etiam idiotis est *b* concedenda.

a 1. Cor. 12. v. 7. & seqq. & c. 14. v. 6. 19. & 28. *b* Neh. 8. v. 2. & seqq. Act. 17. v. 11.

T I T U L U S II.

De sacro Federe.

Hucusque de sacræ Scripturæ conditione: partes ejus, adeoque etiam theologicæ Epistolæ sunt duæ; una de *contentis*, altera de *sigillis*.

2 Contenta Theologiæ sunt vel generalia de *Federe*, vel specialia de *Federatis*.

3 Fedus sacrum non est mutuus inter Deum & hominem contractus, qui personarum & juris quandam æqualitatem præsupponit, sed talis ordinatio, quâ solus Deus pro suo beneplacito dispo-

disposuit, bonum aliquod homini promittendo, eumque ad sui obsequium sibi obstringendo.

4 Estq; duplex: aliud corporale, aliud spirituale.

5 Corporale est, in quo Deus terrenum & temporarium tantum *bonum* pollicetur: cuiusmodi fuit pactum statim post diluvium inter Deum & homines factum, de orbis terrarum non amplius per aquas perdendo.

Genes. 9. v. 9. & seqq.

6 Spirituale fedus est, in quo Deus spirituale *bonum*, hoc est, cælestem & æternam beatitudinem cum omnibus mediis ad eam ducentibus & conducentibus, promittit.

7 Estq; Legale, & Evangelicum.

8 Legale est, in quo Deus promittit *vitam æternam*, Legem perfectè ex propriis viribus observantibus, annexâ comminatione mortis æternæ, Legem transgredientibus irrogandæ.

9 Hoc fedus valuit & viguit, primò *ante*, deinde *post* lapsum.

10 Ante lapsum, quando Deus illud cum protoplastis in statu ex creatione integro, immediatè pepigit.

11 Post lapsum, quando Deus illud ipsum in statu ex defectione hominis voluntaria corrupto, populo Israëlitico in monte Sinai, cum clangore

20 T I T U L U S II.

buccinæ, tonitru & fulgure in densissima nube,
per ministerium Moysis repetiit.

12 Evangelicū fedus est, in quo Deus fidelib.
promittit vitam æternam gratis propter Chri-
stum: annexâ comminatione mortis æternæ in-
credulis æternūm irrogandæ.

Rom. 1. v. 16. Marc. 16. v. 16.

13 Hoc fedus respectu legalis NOVUM dici-
tur a, valuitque & viguit tum ANTE tum POST
Christi in carnem adventum; unde in Vetus &
Novum b distinguitur.

a *Heb. 8. v. 8. & 13.* b *Ierem. 31. v. 31. & seqq.*

14 Vetus statim post federis legalis violatio-
nem cum primis parentibus fuit percussum a,
cum Abrahamo ejusque posteris iteratum b, &
usque ad Christi adventum c continuatum.

a *Gen. 15. v. 10.* b *Gen. 17. v. 7.* c *Luc. 1. v. 72.*

15 Novum, quod per adventum Christi est
renovatum & ita confirmatum, ut sit perpetuò
duraturum. *Ierem. 31. v. 31. & seqq.*

16 Horum federum notanda est, tum conve-
nientia & differentia, tum duratio & abolitio.

17 Conveniunt & differunt vel fedus legale
& Evangelicū, vel Evangelicū Vetus & No-
vum.

18 Legale & Evangelicū fedus conveniunt
in Bono promisso, quod est vitæ æternæ beatifi-
tudo & gloriæ cœlestis possessio: Differunt fun-
damento & conditione.

19 Fun-

19 Fundamento; hoc enim in Legali fuit,
Natura hominis, integra à Deo condita & verâ
legis notitiâ informata, in Evangelico verò est
Jesus Christus in suo sanguine.

Heb.10. v.29.

20 Conditione; hæc enim in Legali fuerunt
opera ex naturæ viribus præstanta, & divinæ legi
exquisitè cōformia a: in Evangelico verò est so-
la fides, ex gratuito Dei dono fluens b, Chri-
stumque crucifixum firmiter & constanter ap-
prehendens c.

a *Deut.6.v.5. Matth.19.v.17.* b *Phil.1.v.29.* c *Gal.2.*
vers.16.

21 Evangelicum fedus Vetus & Novum con-
veniunt quoad substantiam videlicet fundamentū,
bonum promissum & conditionem: differunt
quoad circumstantiam.

22 Circumstantia est amplitudo tum vocati-
onis, tum perspicuitatis.

23 Vocationis; quia Christus in veteri federare
tantum Judæis annuntiabatur, in novo etiam
gentibus prædicatur.

Matth.15.v.24. Act.13.v.46.

24 Perspicuitatis; quia quæ obscurius in ve-
teri adumbrantur, clarius & abundanter in no-
vo illustrantur.

Matth.13.v.16.

25 Abolitio & duratio federum, ex iis quæ de
eorum differentia dicta sunt facile & plenè intel-
ligitur. In quibus Legale cum Evangelico, &

21 T i t u l u s II.

Evangelicum Vetus cum Novo convenit, ea ad-
huc durant: in quibus verò differt, ea abolita
sunt.

26 Etsi verò Legale fedus per Evangelicum
etiam quo ad substantiam maximè est abrogatum
est, & Evangelicum vetus, per Evangelicum no-
vum, quoad circumstantias, non nihil correctū,
inde tamen non est consequens, ipsas leges in u-
niversum esse abolitas. Proinde quid de valore
& vigore, itemq; cessatione & abolitione legum
divinarum, à Deo in federe Legali & gratuito-
veteri sit sentiendum, hīc commodè possimus
annectere. a Heb.8.v.13.

27 Lex est triplex: alia *moralis*, de morib. cùm
erga Deum, tum erga proximum pīè informan-
dis: alia *judicialis*, de judiciis recte exercendis,
alia *ceremonialis*, de ceremoniis ritè peragendis.

Deut.6.v.1. Rom.9.v.4.

28 Moralis lex, quatenus lex, omnino non est
abrogata: Usus tamen obtinuit ut eam abrogatā
dicamus credentibus totaliter quoad *maledicti-
onem* & *tyrannidem*, partialiter quoad observa-
tionem, nimirum justitiae ex ea consequendæ,
non verò gratitudinis per eam ostendendæ.

1.Tim.1.verf.8.

29 Lex judicialis, quâ talis, Republicâ Istaëlis
eversâ, & Judæis per quatuor mundi plagas di-
spersis salvâ & incolumi rectitudine, quoad cir-
cumstantias & merè forenses constitutiones,
planè & plenè est abrogata. Gen.49.v.9. & 10.

30 Äqui-

30 Æquitas igitur in puniendis facinoribus est perpetuò servanda, b. c. proportio debet esse inter delicta, & pœnas delictis statutas, ut in æquilibrio versetur, si in trutina utrumque appendatur.

Amos 5. v. 15. Zach. 8. v. 16. Ioh. 7. v. 24.

31 Lex ceremonialis, quia non est de lege naturæ (quæ est sola immutabilis) tota quoad usum sive observationem, non quoad effectum sive significationem, est abolita.

Act. 15. v. 24.

32 Abolitio hæc aliter se habet respectu *juris*, aliter respectu *facti*.

33 Jure ceremoniales illæ umbræ, sole justitiæ exorto, statim justo ipsarum complemento fuerunt abrogatæ, omni vi ad obligandum simul & semel eis ademptâ.

Col. 2. v. 17. Heb. 10. v. 1.

34 Facto, aliquandiu fuerunt dissimulatæ: deinde planè mortificatæ.

34 Dissimulatæ fuerunt in illo intermedio tempore, quod fuit à passione Christi ad promulgationem plenariam Evangelii: tum enim quoniam jam jure mortuas Legales ceremonias efferti oportuit & honestè sepeliri, ad tempus proportione hominum divinâ sapientiâ sunt, ut diximus, dissimulatæ. *Act. 16. v. 3.*

35 Mortificatæ vero sunt post tempus Evangelii in publicum satis divulgati: idq; tum partim per prædicationem Apostolorum, partim poten-

24

T I T U L U S III.

tiâ Dei, quâ justo judicio destruxit templum, &
cum templo omnem cultum ceremonialem.

Gal. 2.3. & 4. capp.

T I T U L U S III.

De Natura Dei.

1 **V**Isum est in genere de Federe: sequitur de federatis in specie; quorum unus Epistolæ theologicæ Author est, nimirum Deus, alter Acceptor, nimirum Homo.

2 Deus est Spiritus *a* optimus *b* maximus *c*.
a Ioh. 1. v. 24. b Exod. 34. v. 6. & 7. c 1. Tim. 1. v. 17.

3 Dei perpendi debent NATURA & OPERA.

4 Natura Dei est, quâ Deus est id quod est: spectaturque vel absolute in Essentia, vel relatè in personali subsistentia, vel utrovis modo in utriusque proprietatibus. *Exod. 3. v. 14.*

5 Essentia Dei est absoluta Dei Natura, quâ Deus à se ipso & per seipsum revera est & subsistit.

Exod. 3. v. 14. Apoc. 1. v. 8.

6 Essentiæ divinæ spectanda est, singularitas & communitas.

7 Singularitas, quia una tantum & individua est Dei essentia: seu Jehova Zebaoth unus solum est, & non sunt plures numero dii.

Deut. 6. v. 4. 1. Cor. 8. v. 4.

8 Com-

D E N A T U R A D E I.

25

8 Communitas, quia essentia Dei est personis divinis communis.

Ioh. s. v. 7.

9 Hæc de essentia divina: Personalis substantia est natura Dei relatè & determinatè in aliqua Deitatis personâ considerata.

10 Personæ Deitatis tres sunt: Pater, Filius, & Spiritus S. Unde S. sancta colitur Trinitas.

11 Mysterii de Trinitate discenda est, VERTAS & SUBLIMITAS.

12 Veritas non pendet à nostro captu, sed à S. Scripturarum V. & N. Testamenti consensu.

13 Subobscure quidem priscæ Judæorum Ecclesiæ hæc doctrina fuit tradita: attamen humili fide & pietate scrutantes, non modò personarū pluralitatem, sed ipsam trinitatem firmiter possunt ex V. T. concludere.

14 Pluralitatem a: His siquidem in locis partim Deus de se in plurali numero propriè, & pluralitati personarum convenienter loquitur, partim pluribus quam uni nomen JEHOVÆ tribuitur.

a Gen. 1. vers. 26. & 3. v. 22. & 11. v. 7. & 19. v. 24. Hos. 1. v. 4. & 7. Zeph. 3. v. 2. &c.

15 Ipsam Trinitatem seu certam & determinatam numero ternario pluralitatem a. Hoc enim hymni illius angelici τρισύγιον, tres S. Trinitatis personas in Essentiæ unitate, ex sententia totius priscæ Ecclesiæ, insinuat.

a Ies. 6. v. 3.

B

26

T I T U L U S III.

16 In N. verò T. tres illæ Deitatis personæ clariùs & disertiùs exprimuntur, frequentiùsque & illustriùs conjunguntur.

Matth. 3. v. 16. & 17. & c. 28. v. 19. Luc. 1. v. 35. 2. Cor. ult. v. ult. 1. Ioh. 5. v. 7.

17 Sublimitas hujus de trinitate personarum in Essentiæ unitate mysterii, magna & multa est. Non enim illud mente comprehenditur, sed fide intelligitur; non per naturam est inditum, sed per Scripturam revelatum, & quidem quoad τὸ ὄντε, non quoad τὸ διόπ, quod ipsis quoque Angelis est ἀνοητάτη πρᾶγμα.

a Esa. 6. v. 2.

18 Similitudines & picturæ ad mysterium hoc illustrandum & adumbrandū à P P. investigatæ, moderatè sunt usurpandæ, ne quaquā ad vivum resecandæ: Fidei nostræ consortibus quidem sine periculo proponuntur, apud extraneos vix absq; ludibrio adducuntur.

19 Sublimitas Trinitatis deprehenditur potissimum ex personatum coëssentialitate & distinctione: Hi quipper tres, nempe Pater, Filius, & Spiritus S. sunt coëssentiales, & omnimodo proprietatibus essentialibus æquales. Sunt verò etiam inter se verè realiter & proprietatibus personalibus distincti, ut unus non sit aliis.

Matth. 3 v. 16. & 17. 1. Ioh. 5. v. 7.

20 Hucusque de divina Essentia & personali subsistentia: sequitur de divinis proprietatibus.

21 Pro-

21 Proprietates divinæ sunt attributa Dei, non figurata, quæ per figuram aliquam Deo adscribuntur, non activa, quæ rectius vocantur Dei opera, sed substantialia, quæ sunt ipsius Dei in se & Deus ipse.

22 Cùm verò substantiale in Deo, vel absolutum sit à quo essentia, vel relativum à quo personarum subsistentia; attributorum quoq; substantialium (quæ nos proprietates dicemus) alia essentialia sunt, alia personalia.

23 Essentiales Dei proprietates sunt ipsam et essentia Dei tota: neq; vel ab essentia, vel inter se reapse differunt,

24 Harum duo sunt genera: unum absolute, quod nullum ad res creatas respectum habet: alterum respectivum, quod respectum ad res creatas importat,

25 Primi generis proprietates sunt simplicitas & infinitas.

26 Simplicitas est essentialis Dei proprietas, per quam essentia divina omnis omnino compositionis, divisionis, multiplicationis, accidentis, adeoque omnis mutationis expers est.

Rom. 1. v. 23. 1. Tim. 1. v. 17. & c. 6. v. 16. Iac. 1. v. 17.

27 Infinitas duplex est: Æternitas & Immensitas.

28 Æternitas est essentialis Dei proprietas, per quam Deus omnis omnino principii & finis expers est, nullamq; sui ipsius innovationem unquam experiens. Ps. 90. v. 2. & 4. Dan. 7. v. 13. Apoc. 1.

v. 4.

B y

28 T I T U L U S I I I.

29 Immensitas est essentialis Dei proprietas, per quam Deus omnis dimensionis seu mensuræ, circumscriptioñis, incrementi atque decrementi expers est.

1 Reg. 8. v. 27.

30 Secundi generis proprietates rursum sunt in dupli ordine; primus earum est, quibus quasi naturales facultates agendi indicantur, ut sunt SAPIENTIA, POTENTIA &c. alter earum, quibus quasi qualitates & affectiones in Deo divinisq; OPERIBUS residentes denotantur, ut MISERICORDIA, JUSTITIA &c.

31 Sapientia Dei est essentialis ejus proprietas, quâ Deus omnia omnino universalia & singularia, necessaria & cōtingentia, præsentia, præterita & futura, simplicissimo & infinito actu, æternū & immutabiliter, distinctè & infallibiliter novit, ut meritò OMNISCIENTIA dicenda sit.

Ezech 11. v. 5.

32 Sapientia Dei comprehendit in se SCIEN-TIAM & INTELLIGENTIAM.

33 Scientia Dei vel GENERALIS est, quâ Deus simpliciter omnia ab æterno scit; vel SPECIALIS conjuncta cum approbatione, quâ peculiariter & gratiōsè suos novit, & pro suis agnoscit.

2 Tim. 2. v. 19. Matth. 7. v. 23.

34 Intelligentia Dei est, quâ Deus omnia quæ scit, etiā evidentissimè & perfectissimè intelligit.

Psal. 33. v. 15.

35 Poten-

35 Potentia Dei est essentialis ejus proprietas, quâ Deus omnia in omnibus quando & quomodo cunque liber, potest efficere atque operari; unde rectissimè vocatur Dei OMNIPOTENTIA.

36 Potentia Dei vel *absoluta* est, quâ Deus plura potest velle aut facere, quam vult aut facit a; vel *actualis*, quâ Deus quicquid vult, recipit b.

a Matth. 3. v. 9. & c. 26. v. 53. b Psal. 115. v. 3.

37 Misericordia Dei est essentialis ejus proprietas, quâ Deus per naturam liberaliter pronus & benigniter promptus est ad benefaciendum & succurrendum miseris.

i. Tim. 4. v. 10.

38 Misericordia Dei vel *communis* est, quâ Deus omnes in universum creaturas suas, cum primis vero homines, etiam à quibus offenditur, ad bonum naturale & temporarium dirigit, in eoque (quamdiu justitia patitur) sustentat a: vel *PARTICULARIS*, quâ Deus ut liberimus Dominus miseretur quorum vult b, nimirum *corum* quos praescivit, quos praedestinavit c.

a Luc. 6. v. 35. b Rom. 9. v. 18. c Rom. 8. v. 29. & 30.

39 Justitia Dei est essentialis ejus proprietas, quâ Deus in omnibus suis operibus ita justus est, ut nulla creatura jure possit conqueri sibi ullam à Deo injuriam fieri factam esse, sive justitiae illius ratio manifesta sit, sive occulta.

Psal. 11. v. 7.

40 Justitia Dei vel *gratia* est, secundum quā certissimè gratiam suam præstat sicut promisit a: vel *ira*, secundum quām æquissimè judicia sua exerceat, sicut est comminatus b.

a *Psal.71.v.2. & 3.* b *Psal.97.v.2.*

41 Hæc de proprietatibus Dei essentialibus: Personales proprietates sunt attributa prosopica & idiomata characteristica, quæ in personis diuinis terminantur, & personalitates divinas determinant,

42 In personis terminantur quæ quidem relationem connotant, præcipue tamen ipsas hypostases seu subjecta ipsa designant, ut sunt nomina personarum, *Pater, Filius, Spiritus sanctus*. Prima enim persona Pater est, non alia; secunda persona Filius est, non alia; tertia persona Spiritus S. est, non alia.

43 Personalitatem determinant proprietates illæ, quarum usus in relatione consistit, ut sunt nomina *generationis, processionis*. Generatio autem intelligitur aut activè, aut passivè: quatenus scil. refertur aut ad personam generantem, aut ad personam generatam.

44 Generatio activa proprietas solius Patris est, & personalitatem Patris determinat: Solus enim Pater *Filium* ab æterno genuit.

Psal.2.vers.7.

45 Generatio passiva proprietas solius *Fili* est,

DE NATURA DEI. 31

est, & personalitatem Filii determinat: Solus enim Filius à Patre ab æterno genitus est.

Iohann.1.vers.14. Matth.3.vers.17.

46 Processio proprietas solius Spiritus S. est, & personalitatem Spiritus S. determinat: Solus enim Spiritus S. à Patre & Filio simul ab æterno spiratus procedit.

Ioh.15.v.26. Rom.8.v.9.

47 Determinativæ hæ & determinatæ personarum proprietates diverso sensu dici possunt, communicabiles & incommunicabiles.

48 Communicabiles sunt *ortu* (qui relationis est) idque respectivè: Filius enim suam personalitatem seu *esse personale* à Patre accepit per ineffabilem generationem: Spiritus S. *esse suum personale* à Patre & Filio æqualiter accepit, per incomprehensibilem processionem.

49 Incommunicabiles sunt *actu* (qui personæ est in se) idque sine exceptione: Pater enim non potest esse Filius vel Spiritus sanctus: nec Filius Pater vel Spiritus sanctus: nec Spiritus S. Pater vel Filius, h.e. nulla persona potest alterius personæ *esse personale*, seu personalitatis à se distinctæ sive determinatam sive determinativam proprietatem obtinere.

T I T U L U S I I I I .

De decretis Dei.

HAec tenus de natura Dei, sequitur de ejus operibus.

2 Opera Dei sunt, quæ à Deo facta sunt, ut essent illustrissima gloriæ ipsius argumenta.

Psal. 8. v. 2. &c. & 19. v. 2. &c. & 104. v. 2.

3 Opera Dei sunt vel decretum, vel decreti exsequutio.

4 Decretum Dei, est in Deo actu interno & aeterno, indeque opus Dei immanens dicitur: distinguiturque in commune & speciale.

5 Commune est, quod communiter ad omnia & singula maxima & minima pertinet, tum quæ sunt, tum quæ fiunt: & dicitur PROVIDENTIA.

6 Providentia est decretum Dei aeternum, libertimum, immutabile, justissimum, optimum, de rebus universis communiter, sine salutis vel exitii speciali respectu, creandis, curandis, moderandis, & ad suos fines sapientissimè & potentissimè ducendis.

Psal. 33. tot. & paſim alibi.

7 Speciale decretum est, quod ad homines tantum pertinet: & vocatur PRÆDESTINATIO.

8 Prædestinatio est decretum Dei, quo constituit quid decujusq; hominis salute fieri vellet.

2. Tim. 2. v. 19.

9 Præ-

DE DECRETIS DEI. 33

9 Prædestinationis veritas duobus gradibus inquiritur; primò in se & simpliciter, respectu ELECTIONIS ad SALUTEM: dein oppositè ad suum contrarium, respectu REPROBATIONIS à SALUTE.

Ephes. i. v. 4 s. & 6.

10 Electio ad salutē est decretum, quo Deus pro beneplacito voluntatis suæ certos seu quos-dam ex hominibus ab æterno ad iudeciam per Jesum Christum, prædestinavit, in laudem gloriosæ gratiæ suæ.

11 Electionis notari debet AFFECTUS & EFFECTUS.

12 Affectus seu affectio Electionis duplex est: Æternitas & Immutabilitas.

13 Æterna est , ante jacta mundi funda-
menta, h. e. ante omnes res & causas in rebus
existentes absolutè facta.

Eph. i. v. 4. 2. Tim. i. v. 9.

14 Ab æterno facta rectè dicitur Electio, sive illius species causam impulsivam, sive materiale objectum.

15 Impulsiva causa est eternum & absolutum Dei beneplacitum, h.e. non sumus electi ex operibus nostris a, non ex fide prævisa b, non propter voluntatem aut ullam dignitatem nostram c; sed propter solum Dei beneplacitum d.

a Eph. i. vers. 4. & cap. 2. v. 10. b Eph. 2. v. 8. & 6. v. 23.

c Col. 1. versu 12. Ephes. 2. versu 3. d Ephes. 1. vers. 5.

B V

16 Objectum Electionis est homo ex communī naturā sui generis supra naturā evchendus.

17 Objectum Electionis perpendi debet realiter & modaliter.

18 Objectum Electionis realiter consideratum sunt homines non omnes & singuli; sed pauci, si cum magno reproborum numero conferantur.

Matth. 7. v. 14. & cap. 20. v. 16.

19 Objectum verò Electionis modaliter cōsideratum alii statuunt partem generis humani integrum sine omni lapsus intuitu; alii corruptā per lapsū; alii tum integrum respectu primæ decreti divini præordinationis, quæ est de fine scil. vita æterna, tum corruptam respectu alterius divini decreti præordinationis, quæ est de mediis ad finem.

20 Nos cum postremis nullum singularem hominis respectum exclusivè, sed communem in Electionis (ut & reprobationis) argumento ponimus. Ita ut hominem nondum-conditum, conditum, lapsū, attamen in conspectu Dei præsentissimum, omni ex parte ab æterno, intelligamus: adeò ut in Electione concurrant, gratia ἀπλῶς in hominem ἀπλῶς consideratum, qualis est ea quam communicavit Deus cum Angelis suis, qui non defecerunt: & gratia conjuncta misericordiæ in lapsū hominem & peccatorem.

21 Ut

DE DECRETIS DEI. 35

21 Ut verò nos cum primis & secundis in rei substantia non dissentimus, sed utrumque dicimus: sic inter se illi non admodum dissentunt. Affirmant enim utriusque constanter & piè (ut & nos) causam Electionis esse Deum solum pro beneplacito voluntatis suæ, nullamque extra Deum vel in homine vel alibi inveniri, & ipsum Electionis decretum non esse in tempore factū, sed ab æterno. Conveniunt igitur in re, rei explicandæ modus est diversus.

22 Quod enim ad circumstantiam attinet, quâ vestitur homo aliâ atque aliâ: ejus ratio propriè non pertinet ad Electionis causam, nec facit quo minus Electio sit & dicatur *absoluta & æterna*.

23 Hæc prima est Electionis affectio, nimirum Æternitas: altera est Immutabilitas.

24 Immutabilis enim est Electio tum in se, tum in nobis.

25 In se, quia immediatè ex Deo procedit, proindeque nec tempori, nec mutationi potest esse obnoxia.

Mal. 3. v. 6. Iacob. 1. v. 17.

26 In nobis, quia respectu suæ causæ est certa & immutabilis: unde consequens est, certum es- se tum numerum numerantem sive formalem, tum numeratum sive materiale, quamvis neuter nobis sit satis compertus.

27 Hactenus de affectu: Effectus Electionis triplex est.

B vj

36 T I T U L U S I I I I .

Primus, per quem reliqui in nos transfunduntur, est Jesus Christus.

Ioh 3. v. 16. & 4. v. 10.

Secundus, per quem in hoc mundo tanquam viam nobis est ambulandum, rursum triplex est: efficax vocatio, justificatio & sanctificatio

Rom 8. v. 29.

Tertius, ad quem velut terminum contendimus, est glorificatio. Ibid.

Verum de effectis his & aliis ab iis dependentibus infrà suo loco.

28 Tantum de Electione cui opponitur reprobatio, quæ etsi haud inconvenienter eadem partitionum explicaretur serie: placet tamen nobis non nihil diversâ incedere viâ.

29 Reprobationis notanda, evidens veritas, & consequens necessitas.

30 Veritas reprobationis à duabus pendet questionibus: nimirum, an sit? & quid sit?

31 Reprobationem esse, non modò Scripturarum clarissima dicta a & aperta exempla b, sed infallibilis etiam executionis eventus c manifestè comprobat.

a *Ier. 6. v. 30. Rom. 11. v. 1. & 2. b Mat. 1. v. 2. & 3. Rom. 9. v. 11. & 11. c Matth. 7. v. 23.*

32 Est verò reprobatio decretum, quo Deus secundum propositū voluntatis suæ, ante omne tempus decrevit, certos homines non adoptare in Christo, sed præterire, in peccatis relinquere & pro-

DE DECRETIS DEI. 37

propterea justè damnare ad illustrationem gloriæ suæ & ad divitias sapientiæ suæ declarandum.

Rom. 9. v. 13. & 17.

33 Reprobationis potissimum inquire debet IMPULSIVA CAUSA, scil. æternum, liberrium & justissimum divinæ voluntatis placitum a, & Objectum adæquatum, nimirum omnes & singuli reprobri, nondum-conditi, conditi, lapsuri, sive lapsi. Vide sup. §. 20.

a *Rom. 9. v. 18. 19 & 20.*

34 Diximus de Veritate Reprobationis: necessitas Reprobationem consequens est duplex, salutaris gratiæ Carentia a, & ejus infallibilis comes, Miseria.

a *Matth. 11. v. 25.*

35 Miseria duplex est, Culpæ & Pœnæ: illa peccatum est, hæc peccati stipendum.

Matth. 12. v. 24. & cap. 25. v. 41.

T I T U L U S V.

De operibus naturæ hujus vitæ.

Hucusque de divinis decretis: sequitur de decretorum exequitione quæ à Deo transit, in creaturas actu externo & temporali, unde etiam opus Dei transiens vocatur,

2. Opera hæc Dei Externa & temporalia, alia in hujus vitæ spatia incident: alia hanc vitam consequentur.

B vij

3 Quæ in hujus vitæ spacia incident, vel Naturæ sunt, vel Gratiæ.

4 Naturæ opus rursum duplex est, *creatio* quæ res quatenus sunt in fieri: & *gubernatio* quæ res quatenus sunt in factō curat.

5 Creationis opus consideratur,
vel quoad Creatorem,
vel quoad Creaturam.

6 Creator est Jehova Elohim, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Cùm enim *creatio* sit opus Trinitatis ad extra, (ut vocant) tribus quoque personis competit, servato tamen ordine ac modo in operando.

7 Creavit Deus omnia bene, alia quidem ex simpliciter nihilo: alia verò ex materia aliquâ, sed ita rudi & indispositâ, ut pro nihilo possit haberi.

8 Sic breviter de Creatore: *Creatura* est opus Dei, factum in gloriam Creatoris.

9 Creaturæ vel intelligentes sunt, vel non-intelligentes.

10 Intelligentes & ad imaginem Dei conditi, sunt vel simplices, molis corporeæ expertes, ut *Angeli*; vel compositæ, corporum societate gaudentes: ut, *Homines*.

a *Psal. 104. v. 4.*

11 Angeli alii *boni* sunt, alii *mali*: de quibus agendum tum in genere de utrisq; conjunctim; tum in specie de singulis sigillatim.

12 Gene-

NATURÆ HUJUS VITÆ. 39

12 Generalis de Angelis, Bonis scilicet & Malis, doctrina ex divinis scripturis definiri potest, partim Totaliter, partim Partialiter.

13 Totaliter definiri potest Angelorum Essentia & inde dependens Existentia.

14 Essentia eorum spiritualis est, creata, ad eoq; finita.

Heb. 1. v. 14.

15 Existentia eorum completa est: hoc est, Angelii in se & per se existunt, veræq; substantiæ sunt.

16 Partialiter definiri è Scripturis potest Angelorum Origo & Ordo.

17 Origo certè illorum incidit in spacium illud sex dierum, quo Deus omnia opera absolvit: in quem verò diem, difficile est statuere: probabile tamen arbitramur, creatos esse Angelos die secundo, unà cum suo domicilio.

Iob. 38. v. 7. Psal. 104. v. 4.

18 Ordo Angelorum distinctus, non solum rationi verisimilis, sed etiam è Scripturis probabilis est. Certos autem choros, & chororum certas Hierarchias, & Hierarchiarū certos ordines, & ordinū certos dignitatum gradus, quib. perpetuò alii aliis præemineant: alii verò aliis subjecti inserviant, inter Angelos constituere, temerariū est, & à scripturarum simplicitate alienissimum.

19 Hactenus de Angelis in genere: sequitur specialis doctrina, primò de bonis, dcinde de malis.

40 TIT. V. DE OPERIBUS

20 Boni Angeli sunt qui in sua integritate in qua conditi erant, ex gratia absoluta, non merito Mediatoris Jesu Christi parta *a*, confirmati, persistenterunt.

a 1.Tim.2.v.5.

21 Angelorum bonorum spectandum est Domicilium & Officium.

22 Domicilium fuit, est & erit, cœlum illud tertium, ubi beatâ Dei visione sufficienter & indesinenter (nisi in terras emissi) fruuntur.

Matth.18.v.10.

23 Officium bonorum Angelorum est duplex, vel erga Deum, vel erga homines.

24 Erga Deum rursus duplex est: vel enim Deo serviunt mandata ejus expediendo *a*, vel Deum colunt magnalia ejus celebrando *b*.

a Iudic.13.v.3. & seqq. Luc.1.v.13. & seqq. & cap.2.v.10.

b Esa.6.v.3. Luc.2.v.13. & 14.

25 Erga Homines Angelorum officium diversum est, prout Homines diversi sunt, alii vide-
licet Boni, alii Mali.

26 Bonis MINISTRANT *a*, CUSTODIENDO *b*,
CONSOLANDO *c*, DOCENDO *d*, CASTIGAN-
DO *e*, animasq; post mortem à corporibus sepa-
ratas in locum beatorum transferendo *f*.

a Hebr.1.v.ult. b Genes.19.v.10. & 16. 1.Reg.19.v.5. &

seqq. c Matth.1.v.20. Luc.2.v.10. d Daniel 9.v.21.

e 2.Sam.24.v.15. & 16. Apoc.22.v.9. f Luc.16.v.22.

27 Ministerium Angelorum erga pios vel or-
dinarium est; quo quilibet electus jam inde à na-
tivitate

tivitate usq; ad finem vitæ, unum Angelum perpetuò habet custodem & comitem a, vel extraordinariū, quo pro Dei beneplacito plures non-nunquam extra ordinem uni homini majoris consolationis causâ mittuntur b. Illud tantum probabile hoc fundamentum habet apodicticum.

a Matth. 18. v. 10. Act. 12. v. 15. b Psal. 34. v. 8. & 91. v. 11.

2. Reg. 6. v. 15. & seqq.

28 Malos contrà Homines Boni Angeli puniunt a.

a 2. Reg. 19. v. 35. Act. 12. v. 23.

29 Ita de Bonis: Mali Angeli sunt, qui propter voluntariam malitiam è cœlo in infernum dejeti fuerunt, malorumq; omnium authores existentur. Ioh. 8. v. 44.

30 Malorum Angelorum inquirendum est
 1. Habitaculum, quod est infernus seu Tartarus, in quem sunt justo Dei judicio detrusi, catenis caliginis traditi, & vinculis æternis sub caligine reservati a: Sicutamen ut jam antelapsum primorum parentum rursus inde fuerint emissi; in die verò judicii universalis finaliter & solenniter in stagnum ignis & sulphuris, Apoc. 20. v. 10, conjicientur, ibi q; in æternum detinebuntur. 2. Studium, quod est horribili impetu querere & facere quæ Deo displicant & Ecclesiæ Dei nocēt b: etsi nihil nisi volente & permittente Deo possunt c.

a 2. Petr. 2. v. 4. Iude vers. 6. b Ioh. 1. & 2. 1. Petr. 5. v. 8.

c Ioh. 1. & 2. Matth. 8. v. 31. & 32.

42 TIT. V. DE OPERIBUS

31 Diximus de Angelis: sequitur de *Homine*,
de quo commodiūs ex instituto nostro acturi su-
mus infr. tit. 7. 8. & 9.

32 Post Creaturas intelligentes subsequitur
doctrina de creaturis non-intelligentibus; quæ
et si Physicorum propria videtur, à theologis ta-
men eo usque solet & debet explicari, quo usque
è scripturis potest hauriri.

33 Creatura non-intelligens est vel Inanima-
ta, vel Animata.

34 Inanimata alia est superior, alia inferior.

35 Superior, est triplex in expanso continuo
cœlum: videlicet Perpetuum, quod Philosophus
ignorat; Sidereum & Aëreum, quos duos cœlos
præter scripturam etiam Philosophia explicat.

36 Cœlum perpetuum (quod etiam supre-
num, empyreum, & ab Apostolo tertium a no-
minatur, multisq[ue] aliis nominibus b, propriis
& tropicis in scripturis insignit) est expansi
pars suprema, extimum illum hujus universitatis
complectens ambitum, gloriosissimumq[ue] Dei,
Sanctorum Angelorum & hominum Beatorum
habitaculum c.

a 2. Cor. 12. v. 2. b Deut. 10. v. 14. 1. Reg. 8. v. 27. Psal. 115.
v. 16. Luc. 23. v. 42. Gal. 4. v. 26. Heb. 9. v. 22. c Psal.
113. v. 5. Matth. 18. v. 10. Ioh. 14. v. 2. & 3.

37 De cœlo hoc notanda sunt duo, 1. Ortus
ejus. Non enim ab æterno existit, sed in tempo-
re est creatum a. 2. Situs; est enim non ubique
sed

NATURÆ HUJUS VITÆ. 43

sed sursum, supra cœlos hosce aspectabiles b.

a Genes. 2. v. 1. & 4. Heb. 11. v. 10. b Iosu. 2. v. 11. Prov. 25.
v. 3. Luc. 24. v. 51. Act. 1. v. 11. Eph. 4. v. 10.

38 Cœlum sidereum, est expansi pars media,
inde à Luna usque ad supremum cœlum sese ex-
tendens. Genes. 1. v. 14. 15. & 17.

39 Ejus perpēdi debet exercitus, & illius usus.

40 Exercitus cœli hujus sunt stellæ seu lumi-
naria.

Gen. 1. v. 14. Deut. 4. v. 19. Ier. 33. v. 22.

41 Luminaria cœli vel magna sunt, vel parva.

Genes. 1. v. 16.

42 Magna Luminaria sunt duo; alterum ma-
jus, ad præfecturam diei, puta Sol: alterum mi-
nus, ad præfecturam noctis, nimirum Luba.

Genes. 1. v. 16.

43 Luminaria parva intelliguntur à Moise
cæteræ stellæ omnes: non quòd substantiæ quan-
titate superentur à Luna, sed quòd Luna & Luce
& Mole major appareat, quàm reliquæ præter
Solem stellæ.

44 Usus hujus cœlestis exercitus duplex est,
Naturalis, & Supernaturalis: Ille rursus vel Solis
proprius est, nimirum lucem à tenebris vel diem
naturalem à nocte distinguere: vel luminarium
communis, nimirum res certas significare.

I. Sive communiter id faciant luminaria omnia
(nam omnia dispescunt tempestates anni suis
circa orbem terrarū itionib.) sive singulariter
Sol & Luna, ut qui diei naturali noctiꝝ; præsi-
dēt, & dies civiles, mēses annosꝝ; distingui-

44 TIT. V. DE OPERIBUS

2. De superiore loco, non solum ostendere Lumen, sed etiam demittere in terras & communicare efficacitatem suam.

45 Supernaturalis usus est Gloriæ divinæ illustratio, & salutis humanæ promotio. Sidera enim tanquam præcones in sublimi suggestu constituti gloriam Dei enarrant *a*, atq; nos de maiestate Dei *b*, nostroq; officio *c*, informant.

a Psal. 19. v. 2. & seqq. b Ier. 31. v. 35. & 36. c Psal. 148. vers. 3.

46 Cœlum Aëreum est expansi pars infima inde à terra usque ad cœlum stellatum diducta.

47 In aëre salutariter possunt & theologicè debent considerari quædam meteora, quæ refert S. Scriptura.

48 Meteora quæ considerant Theologi, docendi gratiâ ad imitationem Philosophorum possunt distingui in Ignita, Aquea, & Aërea.

49 Ignita meteora notabimus tria, stellam regiam, Fulgetrum, Tonitru.

50 Stella regia, est stella peculiaris nato Christo Rege Regum in Oriente à Magis visa.

Matth. 2. v. 2. 9. & 10.

51 Hæc stella regia non fuit de numero stellarum ab initio creatarum; illæ enim singulis diebus oriuntur & occidunt, à diurna luce Solis absconduntur, noctu sereno cœlo non occultantur: nec fuit Cometa, ut ex iis quæ Physici de cometarum natura, evanescientia, & à terris distantia

tia tradunt liquet, (illa enim in hanc stellam regiam non competit) sed fuit novum quoddam insolitum & extraordinarium prorsus Meteoron, non naturali modo, sed divina virtute è sub cœlesti materia conflatum, & eximiæ lucis fulgore donatum, viq; non suapte, sed virtute divinâ aut Angeli ministerio, motum & ductum.

52 Fulgetrum seu coruscatio est splendor flammæ emicantis per aërem uno momento, sed per intervalla transcurrentes, ortus, ut volunt, ex modica tenuiç; exhalatione in nube accensâ.

Psal. 18. v. 13.

53 Tonitru est vox Dei vehementissima & validissima, per terrefaciens omnia animalia, non tantum homines, sed etiam feras ac horrificas bestias desertum incolentes.

Exod. 9. v. 23. cap. 19. v. 16. Iob. 37. v. 1. & seqq. Psal. 18. v. 14.

& 29. v. 3.

54 De Tonitru Physici multa scribunt: quæ nos nequaquam contemnimus. Deus fortis tamen tonans voce excellentiæ suæ, res facit adeò magnas & mirabiles, ut non possimus cognoscere.

Iob. 37. v. 3. & 4.

55 Meteora aquæ sunt Nubes & quæ è nube proveniunt, ut pluvia, ros, nix, grando, &c.

Iob. 38. v. 22. 23. & 28. Psal. 48. v. 8.

56 Aëreum meteorum est ventus, quem Deus ex specubus & locis abditis veluti è thesauris

46 TIT. V. DE OPERIBUS

producit *a*, ad beneficiendum tum hominibus
communiter *b*, tum maximè Ecclesiæ singulari-
ter *c*, & super cujus alas Deus volat & itat *d*, ad ju-
dicia sua exsequendum tam erga pios *e*, quam er-
ga impios *f*.

a Psal. 135. v. 6. & 7. *b* 1. Reg. 18. v. 45. *c* Genes. 8. vers. 1.

d Psal. 18. v. 11. & 104. v. 3. *e* Iob. 1. vers. 10. Ion. 1. v. 4.

f Exod. 10. v. 13.

57 Hucusq; de inanimata creatura superiori:
Inferior est duplex, Aqua & Terra.

58 Insigne hoc est sapientiae, bonitatis & po-
tentiae divinæ documentum, quòd Deus aquam
à terra discrevit.

Gen. 1. v. 9. Psal. 104. v. 6. & seqq.

59 Usus utriusque persequuntur Physici, no-
runt Medici, referunt libri sacri.

60 Notabile tamen cumprimis est quòd u-
trumque etiam Deo servit ad justissimam exse-
quutionem judiciorum; uti conspicitur in *Dilu-*
vio *a*, & *Terramotu* *b*.

a Genes. 7. *b* Amos 1. v. 1. Zach. 14. v. 5. Matth. 24. v. 7.
& cap. 27. v. 54. & cap. 28. v. 2.

61 Fuit creatura inanimata: Animata est quæ
animam & vitam habet.

62 Estq; vel Planta, vel Bestia.

63 Planta est corpus animatum animam ha-
bens vegetantem, ut Herba, quæ sine caudice è
terra virescit; Frutex, qui multiplici caule surgit;
Arbor quæ simplici caule crescit.

Gen. 1. v. 11. 12. & 13.

64 Bestia

64 Bestia est quæ habet animam sentientem:
& est vel aquatilis, vel volatilis, vel terrestris.

Genes. i. v. 20. & seqq.

65 Hucusq; de opere creationis tum quod ad
Creatorem, tum quod ad creaturam: sequitur de
Gubernatione.

66 Gubernationis doctrina his duabus ab-
solvitur positionibus. 1. Quòd sit. 2. Quid sit.

67 Priorem qui vivis rationibus sibi probari
cupiunt, ii non verbis, sed verberibus, non Theo-
logi, sed carnificis responso digni sunt: quippe il-
lam non modò evidentissima Naturæ argumen-
ta evincunt, sed etiam clarißima Scripturæ testi-
monia afferunt.

Matth. 10. v. 29. & 30.

68 Posteriorem ita definimus: Gubernatio est
decreti providentiæ exsequutio, seu opus Dei ex-
ternum & temporale, quo omnia & singula opti-
mè administrantur ad Dei gloriam.

69 Partitio ejus triplex est: Primò gubernatio
est vel Universalis, quâ Deus positum à se naturæ
universæ ordinem tuetur a. Vel Particularis, quâ
peculiarem uniuscujusque Creaturæ curam ge-
rit; præcipuè autem humani generis, & maximè
fidelium, quos propiore intuitu dignatur b.

a 'Prov. 15. v. 3. Rom. 11. v. 36. b 1. Tim. 4. v. 10.

70 Deinde Gubernatio est, vel Ordinaria, vel
Extraordinaria: Illa communem naturæ & Gra-
tiæ ordinem observat; Hæc præter communem

48

T I T. V. D E O P E R I B U S

ordinem procedit; Ut cùm Deus Israēlitas manna & coturnicibus, Eliam per corvum pavit. Item cùm solem cursum sistere inq; uno gradu ad preces Josuæ subsistere; & in gratiā Regis Ezechiaæ umbram solis per decem gradus retrocedere fecit. Quibus miraculosis documentis Deus paternam suam erga fideles curam ostendit.

71 Tertiò Gubernatio divina est vel immediata, quæ sine mediis sive causis secundis, & præter vel etiam (ubi visum erit) contra omnia media agit, vel Mediata, quæ variis mediis utitur.

72 Media hæc sunt in duplii discrimine.

1. Alia sunt necessaria, quæ secundūm naturam suam certum effectum necessariò producunt: idq; vel per se & absolutâ necessitate (ut vocant) consequentis; vel ex hypothesi, necessitate consequentiæ; alia contingentia quæ contingenter agunt, non quidem respectu decreti divini, sed respectu suæ naturæ.

2. Media alia sunt bona, idque tam naturaliter quam moraliter: alia mala.

73 Utraq; subsunt divinæ gubernationi, quia Deus utraque ordinat. Etsi enim malum non est bonum, bona tamen est mali ad bonum ordinatio.

74 Subsunt verò cum hoc discrimine. Bona Deus & ordinat & potenter efficit, mala ordinat & permittit.

75 Permissio hæc non est nuda speculatio, aut
mera

mera efficaciæ ex impotentia negatio: sed 1. *Gratiæ denegatio.* 2. *Peccati determinatio.* 3. *Eiusdem directio.*

T I T U L U S V I.

De operibus gratiæ in hac vita.

Expli catum est etiam opus D E I exte rnu s m quod vocatur naturæ: Gratiæ opus illud est, quod secundūm bene placitum voluntatis suæ Deus efficit in Electis qui salutis æternæ hæredes futuri sunt.

2 Hoc opus gratiæ communi nomine *Redemptio* dicitur; & tum demum rectè intelligitur, si illius tum *Fundamentum*, tum *Beneficium* dignoscitur.

3 Fundamentum Redemptionis est Jesus Christus Ἰησοῦς: in quo duo spectanda veniunt, Persona & Officium.

4 Persona Christi est Sermo in carne factus conspicuus.

Ioh. 1. v. 14. 1. Tim. 3. v. 16.

5 Ad hujus definitionis explicationem de duobus videndum est, nimirum Personæ singularitate, & Naturarum in Persona Dualitate.

6 Persona Christi unica est & individua a. Ut enim unum fierent Deus & homo in Fœdere, oportuit unum fieri Deum & Hominem in Persona, non communicatione gratiæ, sed veritate

C

50 TIT. VI. DE OPERIBUS
I. ATURÆ; NON CONFUSIONE SUBSTANTIÆ, SED UNITATE
PERSONÆ b.

a Iohann. i. v. 14. Rom. i. v. 3. 1. Tim. 2. v. 5. b Esai. 7. v. 14.
Luc. i. v. 35. Heb. 8. v. 3. Heb. 2. v. 14. & 16.

7 Naturæ in persona Christi sunt duæ: divina
assumens, & humana assumpta.

8 Harum duatum in Christo naturarum con-
sideranda est *unio* & *distinctio*.

9 Unio est divinæ & humanæ naturæ in *uni-
tatem* unitatem *conunctio*.

10 Unionis hujus investigandus est tum Mo-
dus, tum Effectus.

11 Modus unionis naturarum in Christo est
extraordinarius: Unde unio peculiariter termino
personalis dicitur, & ex scripturis in hunc mo-
dum describitur: Filius Dei unigenitus naturam
humanam verâ animâ & corpore constantem hu-
manis tum proprietatibus praeditam, tum infir-
mitatibus peccato carentibus obnoxiam, in uni-
tatem personæ suæ assumpsit, & assumendo tam
incommutabiliter & inconfusè quam insepara-
biliter & indivisiè univit.

Hebr. 2. v. 16. & 17.

12 Effectus unionis personalis duplex est,
Communium appropriatio, & **Idiomatum com-
municatio**.

13 Communium appropriatio est phrasis,
quâ id quod utriq; naturæ commune est, de per-
sona ab alterutâ naturâ denominatâ enuntiatur.

Act. 20. v. 28, 1. Tim. 2. v. 5.

14 Idio-

GRATIÆ IN HAC VITA.

51

14 Idiomatum communicatio, est phrasis quâ id quod unius naturæ proprium est, de persona ab altera natura denominata prædicatur.

Aet.d.l. 1. Cor.2.v.8. 1.Ioh.1.v.1.

15 Hæc de naturarum unione: Distinctio eaturdem est, quâ tum essentiæ, tum proprietates & operationes utriusque naturæ ab ipso unionis principio distinctæ, diversæ & inæquales fuerunt, sunt & in æternum erunt.

Rom.1.v.3. & 4. & cap.9.v.5. 1.Pet.4.v.1.

16 Hucusque de persona Christi: Sequitur de ejus Officio.

17 Officium Christi consideratur vel juxta suas species, vel juxta suas partes.

18 Species officii Christi tres sunt: Est enim Propheticum, Sacerdotale & Regium.

19 Propheticum officium est, quo Christus cùm in his terris versaretur, populum suum, Malum humanæ naturæ, & Bonum divinæ gratiæ docuit *a*, doctrinamque suam divinis miraculis confirmavit *b*.

a Matth.4.v.17. Esa.61.ver.1. Luc.4.v.21. b Matth.11, v.4. & seq.

20 Sacerdotale officium est, quo Christus corpus suum in hostiam offerendo *a* populum suum à malo perfectè liberavit *b*. & divinam gratiam efficaciter paravit *c*. atque partim in statu humiliationis preces pro nobis fudit *d*, partim in statu glorificationis cum victima semel in terris oblata coram facie patris appetit, proque

C ij

52 TIT. VI. DE OPERIBUS
electorum salute constanter intercedit e.

a 1. Petr. 2. v. 24. b Matth. 1. ver. 21. c Ephes. 5. v. 2.
Hebr. 2. ver. 9. d Iohan. 17. Hebr. 5. ver. 7. e Hebr. 9.
vers. 24.

21 Regium officium est quo Christus popu-
lum suum ab omni malo defendit a, & in parata
atque collata gratia inchoativè in his terris, con-
summativè in cœlis stabilit & tuetur b.

a Psal. 110. v. 2. Iohan. 10. vers. 28. b Psal. 2. v. 6. Luc. 1.
v. 32. & 33.

22 Partes officii Christi (quas vulgò status
vocant) duæ sunt : *πατεῖνωσις* & *ὑπερέψυχωσις* ;
Humiliatio & exaltatio : In quibus tota salutis
dispensatio & triplicis officii Christi *exequutio*
consistit.

23 Humiliatio est, quâ Filius Dei homo fa-
etus, habitu ut homo compertus, obediens fa-
etus est usque ad mortem, mortem autem cru-
cis se submisit.

Philipp. 2. v. 7. & 8.

24 Estque vel antecedens vel consequens &
extrema : quarum hæc valde evidens fuit, illa
minus.

25 Antecedens est perpetua variarum perpes-
sionum inde ab ortu Christi usq; ad Judæ prodi-
tionem patientia : quæ quidem perpessiones ad-
eò fuerunt crebræ, ut vita Christi non immetò
perpetua quædam passio dici possit.

Tota Evang. hist.

26 Extr-

26 Extremæ Christi humiliationis tres sunt gradus: Passio ad mortem, Sepultura, Descensus ad inferos.

Symb. Apost.

27 Passio ad mortem est, quâ Christus multa convitia & tormenta sustinuit, lignoque crucis, tanquam execrabilis *a*, affixus, summam ignominiam acerbissimosq; dolores expertus, spiritum emisit *b*.

a Gal. 3. v. 13. b Matth. 27. v. 46. & 50.

28 Sepultura est quâ corpus Christi demortui de cruce sumptum & tanquam à morte vivum & prostratum in sepulchro novo reconditum est.

Matth. 27. vers. 59. & 60. Actor. 13. v. 29. 1. Corinth. 15. vers. 4.

29 Descensus ad inferos, est omnis ignominia Christi, quam nostri nomine subivit & quam subire ex decreto Patris debuit, clausula.

1 Samuel. 2. v. 6.

30 Hæc de humiliatione: Exaltatio Christi duas habet partes. 1. Est servilis conditionis & omnium infirmitatum quas Christus unâ cum humana natura, excepto tamen peccato, assumpserat, depositio *a*. 2. Est humanæ naturæ plena, perfecta & supereminens glorificatio *b*.

a Heb. 4. v. 15. b Eph. 1. v. 20. & seqq. Phil. 2. v. 9. & seqq.

31 Hactenus de Redemptionis Fundamento: sequitur de ejus Beneficio.

54 TIT. VI. DE OPERIBUS

32 Beneficium Redemptionis quod Deus nobis in hac vita, dum sumus in via, applicat, & quo quasi medio nos ducit ad metam videlicet cælestem hæreditatem, duplex est, *Justificatio & Sanctificatio*. Sicut enim per peccatum Adæ duplex malum in omnes posteros redundavit, *Reatus mortis, & Pravitas naturæ*: Sic horum malorum abolitio duplex requirebat Christi Redemptoris beneficium, nimirum ut per *justificationem reatus peccati remitteretur, per sanctificationem spiritus, prævitas naturæ tolleretur*.

33 *Justificatio est à crimine absolutio & pro justo declaratio: distinguiturque in Legalem, & Evangelicam.*

Rom. 8, v. 33. & 34.

34 *Justificatio legalis est, quâ homo propriâ inhærente justitiâ, legi divinæ per omnia conformatum esse pronunciatur. Hæc justificationis ratio fuit in federe legali ante lapsum. Post lapsum vero nemo hominum taliter ex lege justificatur, sed quotquot justificantur, Evangelicâ justificatione justificantur.*

35 *Evangelica justificatio est, quâ peccator absolvitur & justus reputatur coram Deo gratis per fidem propter Christum.*

36 *Ea consideratur vel activè respectu Dei qui*

qui justificat, vel passivè respectu hominis qui justificatur.

Rom. 8. v. 33. & Cor. 5. v. 21.

37 Homo autem non justificatur quilibet, sed efficaciter vocatus à Deo, hoc est, qui per promulgationem federis gratuiti ex tenebris in admirabilem lucem, ex potestate Satanæ ad participationem gratiæ, fuerit tractus & verâ fide, quâ Deo trahenti respondeat, donatus.

Rom. 8. v. 30.

38 Utriusque justificationis notari debet Natura & Causa.

39 Natura justificationis Evangelicæ ita est affecta, ut partes totum integrantes nullas admittat, cùm tota in remissione peccatorum, rotata etiam in imputatione justitiæ consistat.

Rom. 4. v. 5. & seqq. & cap. 5. v. 19.

40 Causa justificationis necessariò perpendenda est, & Impulsiva, & Organica.

41 Impulsiva justificationis causa duplex est, Intrinseca & Extrinseca.

42 Intrinseca est sola οὐδονία & φιλανθρωπία Dei, quâ nos miseris peccatores justificare, hoc est reatu peccati solvere dignatur.

Roman. 3. vers. 24. Ephes. 1. vers. 7. & cap. 2. vers. 3. Tit. 3. vers. 5.

43 Extrinseca & meritoria justificationis causa, est Christus mediator in sanguine suo: cuius efficacia, est tum ad satisfaciendum, tum ad promerendum. *Rom. 3. v. 25.*

44 Organica justificationis causa est FIDES, quâ homo intuetur sibiq; applicat obedientiam Jesu Christi quâ Patri obediens factus fuit usque ad mortem crucis; & propter hanc fidem tanquam manu accipit à Deo justitiam in Evangelio oblatam.

Rom. 1. v. 17. & cap. 3. v. 25. & 28. Act. 26. v. 18.

45 Justificamur igitur fide, & quidem solâ fide a, non in quantum est habitus, sed in quantum est organum, seu manus apprehendens hominiq; applicans suum correlativum, nimirum obedientiam Christi satisfactoriam quæ ad justitiam propriè imputatur b.

a *Gal. 2. v. 6.* b *Rom. 5. v. 19.*

*46 Fidei inquirenda est Causa & Nota.

47 Causa fidei vel primaria est, vel secundaria. Primaria est vel efficiens principalis, nempe Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus a, vel impulsiva, videlicet beneplacitum Dei b. Secundaria est efficiens Instrumentalis, nimirum Evangelii predicatio c.

a *Ephes. 2. v. 8.* b *Ioh. 6. v. 44. & 45.* c *Rom. 10. v. 17.*

48 Nota veræ fidei duplex est: Charitas seu studium bonorum operum a, & perseverantia b. Clypeus n. fidei potest sauciari, sed non perforari c.

GRATIÆ IN HAC VITA. 57

ri e. Quod tamen non est ex hominum aliqua qualitate qualitatíve illius dignitate, sed Dei promissione promissionisq; illius certitudine d.

a Gal.5.v.6. b Matth.16.v.18. Luc.22.v.32. c Rom.8.
v.38. & 39. d Phil.1.v.6.

49 Sic fuit de justificatione: Sanctificatio est naturæ corruptæ per Spiritum sanctum renovatio, qua fide justificati, vivificantur, & Christo conformantur, ut peccatis mortui Deo vivere incipiant, in vera sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ suæ.

Luc.1.v.74. & 75.

50 Partes Sanctificationis duæ sunt, Mortificatio carnis, & Vivificatio spiritus.

Coloss.3.v.5.9.10.

51 Mortificatio carnis seu veteris hominis est tristitia secundùm Deum efficiens resipiscientiam ad salutem in fide justificatis.

Matth.16.v.24. 2.Cor.7.v.10.

52 Vivificatio spiritus seu novi hominis, est illuminatio mentis, conversio voluntatis, & purificatio cordis, acquiescentis & lætantis in Deo per Spiritum sanctum cum serio novæ obedientiæ studio conjuncta.

Ephes.4.v.22. Coloss.3.v.10.

C v

58 TIT. VII. DE OPERIBUS DEI

TITULUS VII.

*De operibus Dei quæ hanc vitam
consequentur.*

Sic fuerunt opera Dei quæ in hujus vitæ spatia
incident: restant quæ hanc vitam consequen-
tut.

2 Illa sunt duo: Mortuorum resurrectio, &
ultimum judicium.

3 Resurrectionis notanda Certitudo & Ra-
tio.

4 Certitudo inter Christianos cognita est, &
immota. Etsi enim non solum Ethnicis olim vi-
sa est ridicula *a*, sed etiam quibusdam in Judaico
populo absurdæ *b*, in primordiis item & incuna-
bulis Christianæ Ecclesiæ dubia reddita *c*, no-
bis tamen tum ex Apostolico Symbole, tum ex
utroque Bibliorum testamento evidens & certissima *d*.

*a Act. 17. v. 32. b Matth. 22. v. 23. Act. 23. v. 6. c 1 Cor.
14. v. 12. & 58. d 2 Tim. 2. v. 18. & c. Job. 19. v. 25.*

5 Ratio Resurrectionis explicatur à serie cau-
sarum.

6 Efficiens Resurrectionis causa est Deus Pa-
ter, in Filio, per Spiritum sanctum.

*Job. 19. v. 25. Iohann. 5. v. 28. 1. Corinth. 15. v. 12. Philipp. 3.
vers. 20.*

7 In

QUE HANC VITAM CONSEQ. 59

7 In Christo autem præter causam efficien-
tem etiam causa exemplaris reperitur. Resurre-
ctio enim illius est nostræ resurrectionis exem-
plum.

8 Instrumentalis causa est ministerium An-
gelorum, qui cum magna tubæ voce missi, co-
gent electos à quatuor ventis, à cœlorum extre-
mo ad eorum extremum.

Matth. 24. v. 31.

9 Materia est illud ipsum corpus quod ceci-
dit, idem numero, nō tantum specie, illud ipsum
inquam quod pridem in cineres dilapsum fuit.

1. Corinth. 15. v. 32.

10 Forma spectatur in reductæ animæ cum
restituto corpore personali unione & admirabili
copulatione: Illi verò quos vivos deprehenderit
posterior ille Christi adventus momento & ja-
ctu oculi immutabuntur, ut id quod corruptioni
& morti obnoxium est, induat naturam incorru-
ptam & immortalitatem. Ad hæc immutatio
non est resurrectio, sed aliquid resurrectioni si-
mile. *1. Cor. 15. v. 1.*

11 Finis primarius est gloria majestatis divi-
næ: secundarius; Cælestè piorum gaudium, In-
fernale impiorum exitium.

Dan. 12. v. 2. Ioh. 5. v. 29.

12 Hæc de Resurrectione: quam excipit ulti-
mum judicium; ubi explicabitur Adventus ad
judicium & Processus judiciarius.

C vj

60 TIT. VII. DE OPERIBUS

13 Adventus ad judicium aliis judicis est, aliis judicandorum.

14 Judex dicitur vel respectu Authoritatis & Potestatis, & tum tota Trinitas est: vel respectu exercitii, & tunc solus Christus est *Iēsū Ispānō*, qui ad judicium veniet tanquam is cui omnis potestas & omne judicium à Patre datum est.

Matth. 28. v. 18. Ioh. 5. v. 22. Act. 10. v. 42. & cap. 17. v. 31.

15 Veniet autem Christus ad judicium visibiliter è cœlo, sicut priùs spectantibus Apostolis in cælum ascendit a: veniet magnificè nubibus tanquam regio solio insidens, majestate & gloriâ instar fulgutis coruscans, & Angelorum tanquam præcursorum ministerio utens b.

a *Act. 1. v. 11* b *Matth. 24. v. 27. 30. & 31.*

16 Adventus judicandorū est adventus omnium hominum, qui voce Archangeli & clangore tubæ citati, ad Christum judicem in throno gloriae suæ sedentem, primùm congregabuntur, postmodum vero in duos ordines segregabuntur.

Matth. 25. v. 32. & 33.

17 Hujusmodi est Adventus ad judicium. Processus judiciarius spectatur 1. in causæ utriusque multitudinis cognitione. 2. Sententiæ dictione. 3. Ejusdem exsequitione.

18 Causæ cognitio, est operum examen, quâ unusquisque cognitus est, quicquid boni vel mali fecit; testimonium perhibentibus singulorum

DEI QUÆ HANC VITAM CONSEQ. 61
rum conscientiis, vicem testium vel accusantium
vel excusantium obeuntibus.

Rom. 2. v. 15.

19 Sententiæ dictio, est termini ad quem singuli sunt determinati, promulgatio: & est duplex, absolutoria ovium; & condemnatoria hædorū.

Matth. 25. v. 34. & 41.

20 Exsequutio est dictæ sententiæ in effectū productio: proindeque sicut sententiæ dictio, ita quoque ei respondens exsequutio variat: oves tanquam benedicti Pattis ad possidendum regnum à jacto mundi fundamento paratum in cælum intromittentur; hædi tanquam maledicti à Christo totaliter separabuntur, & in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus, conjicientur. *Ibid. v. 40. 45 & 46.*

T I T U L U S VIII.

De ortu hominis.

Hucusque de S. Epistolæ Authore, nimirum Deo: sequitur de ejus Acceptore, nimirum homine.

2 Hominis cognitio duobus his circumscribitur cancellis, videlicet ortu & statu.

3 Ortus hominis est, quo Deus creaturam rationalem è corpore elementari & anima spirituali exstruxit, arctissimoq; unionis hypostaticæ vinculo colligavit.

C vij

4 Partes hominis duæ sunt: *corpus & anima*, illo cum brutis animantibus; hac cum beatis spiritibus communicat.

5 *Corporis* humani ortus in *protoplæstis* & eorum *posterioris* est diversus.

6 *Protoplæstorum* corpus *Jehova Elohim* απέσως nullo vel Angelorum vel aliarum creaturarum adhibito ministerio, fixit: Adami quidē ex pulvere; Evæ verò ex Adami latere: utriusque justâ & absolutâ statuâ.

Genes. 2. v. 7. & 22.

7 *Posteriorum* corpus non immediatè à Creatore, sed divinâ benedictione ex virili & muliebri semine propagatur.

Genes. 1. v. 28.

8 Animæ humanæ ortus in omnibus hominibus, est idem; quippe nō minùs posterioris quam protoplæstis corpore priùs formato tanquam apto domicilio, Deus spiritum insufflat, inspirat, infunditve.

Gen. 1. v. 27. Eccles. 12. v. 9. Heb. 12. v. 9.

T I T U L U S I X.

De statu hominis.

Sic de ortu hominis: sequitur de ejus statu.

2 Status hominis duplex est: unus externus, alter internus.

3 Status

DE STATU HOMINIS. 65

3 Status externus est, qui externas hominum conditiones in hac vita distinguit, & functionibus distinctis distincta munia & praecepta prescribit.

Exod. 20. v. 12. Deut. 5. v. 22.

4 Estque triplex: Oeconomicus, Politicus, Ecclesiasticus. Unde Oeconomia, Politia, Ecclesia.

5 Oeconomia, est status domesticus, in ipso paradyso a Deo institutus, pro administranda prudenter familia.

Gen. 2. v. 15. 22. & 23.

6 Prudens familiæ administratio versatur, tum circa personas, tum circa res domesticas.

7 Personæ sunt vel superiores: ut, maritus, parentes, herus: vel inferiores: ut, uxor, liberi, famulus: illorum est fideliter praesesse: horum obedienter subesse.

Eph. 5. v. 22. & 25. & c. 6. ab init. ad v. 10.

8 Res domesticæ licetè sunt acquirendæ, & providè possidendæ, ut justa dispensationis ratio possit Deo Patri familiâs maximo, reddi.

Matth. 23. v. 14. & seqq. Luc. 16. v. 1 & seqq.

9 Haec de Oeconomia: Politia est status forensis a Deo institutus, ad gubernandam prudenter Rempublicam.

Exod. 18. v. 21. Deut. 16. v. 18. Ex. 22. v. 20. Rom. 13. v. 1. & d.

10 Ad prudentem gubernationem duo non modò conducunt, sed simpliciter necessaria sunt, regere quod magistratus est, & regi seu parere & obsequi quod subditorum.

ii Regimen magistratus est vel præscripti Muneris, vel concessi Juris.

12 Præscripti à Deo muneris, est in causatum Religionis, tum Regionis.

13 In causa Religionis magistratus memor, se utriusque legis tabulæ custodem ac vindicem à Deo esse constitutum, operam dabit ut pura Religio ex verbo Dei in ditione cui præst, instituatur, aut si corrupta, restituatur, integraque ac illibata conservetur, ad Dæi gloriam, suamque ac subditorum salutem.

Exemplo piorum Regum V.T.

14 In causa Regionis magistratus pro libertate sua & regni sui vel conservanda vel recuperanda dimicabit. *Iudic. 4. v. 14.*

15 Regimen concessi Juris consistit partim in tributorum & vestigaliū postulatione, quā conscientia & æquitas metitur, partim in legum & edictorum promulgatione, quæ divinarū legum consensu stabilitur.

16 Obsequium subditorum duo efflagitat; honorem & reverentiam a, timorem & obedientiam b.

a *Rom. 13. v. 7. 1. Pet. 2. v. 17.* b *Rom. 13. v. 1. 1. Pet. 2. v. 13. & 14.*

17 Obsequio autem huic metam statuit tum ipse Dominus; Reddite Cæsari quæ sunt Cæsariorum, & Deo quæ sunt Dei a: tum Apostoli, Oportet Deo magis obedire quam hominibus b.

a *Matth. 22. v. 21.* b *Act. 4. v. 19.*

18 Hæc

D E S T A T U H O M I N I S . 65

18 Hæc etiam de Politia: restat de Ecclesia, in qua qui vivit, in felici statu vivit, & de qua qui est, is in felicissimo statu est.

19 Ecclesia quam Christus suo sanguine redemit, est cœtus eorum hominum, quos Deus ad vitam prædestinavit.

Aétor. 20. v. 28.

20 Ecclesia est vel catholica, & invisibilis, quam in Symbolo credimus, extra quam (sicut extra Noë arcam) nulla omnino salus mortalib. competit; vel particularis & visibilis, in qua multi sunt qui cum illa cognationis nihil habent.

I. Iohann. 2. v. 19.

21 Particularis Ecclesiæ considerari debet index & judex.

22 Index est nota sive externum signum incurrens in sensus, ex quo potest agnosciri, quis hominum cœtus pro vera Christi Ecclesia in his terris debeat haberi.

23 Index h̄ic est duplex, certus & verisimilis. Certus est, qui ex iis Ecclesiæ exercitiis, quæ sunt pars cultus divini, infallibiliter testatur. Estque rursum duplex, unus essentialis, perpetuus, semperque necessarius, ut pura verbi prædicatio a: alter mutabilis, nec semper & simpliciter necessarius, qui potest ad tempus salvâ & incolumi Ecclesiâ intermitti, ut legitima Sacramentorum administratio b.

a Deut. 4. v. 9. Luc. 16. v. 29. Ioh. 10. v. 27. Rom. 10. v. 14.

b Matth. 28. v. 19. Ios. 5. v. 1. & 2.

24 Verisimilis Ecclesiæ index est, qui quidem ad priorem potest revocari, sed probabiliter tantum Ecclesiam designat, ab iis scil. exercitiis, quæ vel sunt cultus divini *directiones*, vel *appendices*.

25 Directiones cultus divini sunt: 1. Disciplina Ecclesiastica. 2. Legitimæ Eleemosynæ. 3. Christiana jejunia. 4. Licitæ vota.

26 Disciplina Ecclesiastica est decens politiæ ecclesiasticæ jurisdictione.

27 Estque vel mitior, quâ peccatores vel publicè coram presbyterio, vel privatim à pastore, adhibito uno vel altero, è senioribus, corriguntur: vel rigidior, quâ propter enormia facinora, & in iis perseverantiam, atque contumaciam, peccatores è communione Ecclesiæ excluduntur, nec priùs quam resipiscentiam suam publicè & quidem sponte sine externâ coactione testentur, recipiuntur. *Matth. 18. v. 15. 16. & 17.*

28 Eleemosynæ, si de rebus nostris legitime partis ad Dei gloriam & proximi solatiū ex verâ fide erogantur, opera veræ charitatis sunt, & sum apud Deum præmium in cælo repositum habent. Dicere autem, eleemosynam esse opus pro peccatis satisfactorium, hoc demum & Scripturis est contrarium, & Christo redemptori nostro contumeliosum.

Matth. 6. v. 1. & seqq.

29 Jejunia, si absit supersticio & meriti opinio, suadente justâ ratione & urgente aliquâ necessitate,

tate, non modò privatim, sed publicè etiam sunt celebranda. Legitimè enim servata usum habent duplē: tum ad illecebras & intemperantiam carnis subigendum: tum ad vigorem spiritus in sacris Ecclesiæ officiis & piis meditationibus excitandum. *Matth. 6. v. 16. 17. & 18.*

30 Votum est promissio libera & spontanea Deo facta, de præstando aliquo externo opere seu exercitio ad finem aliquem bonum.

31 Ad licitum verò votum sex requiruntur: ut
1. conforme sit verbo Dei. 2. non tollat libertatem Christianam. 3. fiat cum consensu eorum quibus subjecti sumus, si cui subjecti sumus. 4. sit possibile, hoc est, in nostra potestate situm quod vovemus. 5. conveniat nostræ vocationi. 6. fiat certo & deliberato consilio.

32 Appendices cultus divini vocamus exercitia Ecclesiæ media sive adiaphora, quæ non sunt res absolutè necessariæ, & perpetuò observandæ, nec res simpliciter malæ & semper fugiendæ, sed res mediæ: quibus ritè observatis, nec Christiana libertas violatur, nec charitas turbatur.

33 Adiaphora hæc sive media, sunt libera vel cognitione, vel usu.

34 Cognitione & judicio semper manent talia; quia doctrina de rebus licitis & libertate Christianâ, perpetua esse debet in Ecclesia.

35 Usuverò non semper libera sunt, sed extra casum scandali; nec semper licita, sed extra casum superstitionis & cultus opinionis.

36 Hæc de Ecclesiæ indice: judex ejus alias est internus, nimirum Spiritus S. alias externus.

37 Externus, vel directus, ut S. Scriptura: vel indirectus.

38 Indirectus est vel primarius, vel secundarius.

39 Primarius Concilium & Presbyterium.

40 Concilium est cœtus Christianorum, ac in primis Ecclesiæ doctorum extra ordinem ad consultandum & dijudicandum de rebus ad Politiam Ecclesiasticam spectantibus, ab eo, qui convocandi & jus habet & normam tenet, convocatus.

41 Estque vel particulare quod aliis provinciale & nationale dicitur, cum ex una provincia seu natione; vel universale & oecumenicum, cum ex toto orbe Christiano episcopi conveniunt, ad consilium aliquod de rebus ecclesiasticis incundum.

42 Presbyterium est confessus seniorum curam Ecclesiæ & negotiorum Ecclesiasticorum, certo quidem in loco, sed in collegio publico habentium.

43 Estque duplex; unum à Deo institutum & in Scripturis prescriptum: alterum ab hominibus non contra, sed citra, scripturas ordinatum.

44 Prius illud est, quod secundum institutum à Deo ordinem ab Ecclesia fuit electum. Hujus generis fuit presbyterium cui interfuerunt ipsi

Apo-

Apostoli *a.* Cœtus seniorum ab Apostolis institutus *b.* Presbyteria à Tito secundūm ordinationem Pauli oppidatim constituta *c.*

a Act. 15. *b Act. 14. v. 33.* *c Tit. 1. v. 5.*

45 Horum officium duplex est, publicum & privatum: illud universum Ecclesiæ cœtum spectat, & vel de doctrinæ veritate, vel ordinis ecclesiastici observatione laborat: hoc ad singula Ecclesiæ membra sigillatim respicit, eaque pro re natâ curat.

46 Presbyterium ab hominibus ordinatum, est cœtus seniorum indoctorum & hominum idiotarum, qui controversias sæpe ignorant, nendum ut de iis statuere valeant.

47 Hoc presbyterii genus minimè est contemnendum: similis tamen ei potestas cum superiori non danda. Etsi enim morum observatores & censuræ ecclesiasticæ moderatores esse possint, non tamen controversiarum, quas non intelligunt, possunt constitui judices.

48 Hucusque de statu hominis externo: Internus ejus status est, qui internam hominum conditionem respicit, & ab illa homines evidenter distinguit, & tandem longissimè separat.

49 Hic status hominis duplex est: unus in hac vita, dum in via est: alter post hanc vitam, cum consequutus est metam.

50 Status in hac vita rursum duplex est: Naturæ & Gratiæ.

51 Naturæ status spectatur in homine vel ante lapsum integro, vel post lapsum corrupto.

52 In homine integro, integra & perfecta fuit imago Dei, h.e. præstantia illa, quâ Deo creatori suo similis erat, & omnibus aliis visibilibus creaturis antecellebat: integra & perfecta fuit, quæ ab imagine dependet, arbitrii vel ad bonum, vel ad malum libertas.

53 In homine corrupto, pulcherrima imago Dei per peccatum corrupta, ac penè deleta & extincta est, adeò ut vix scintillæ aliquæ & tenues reliquæ appareant: item amissa est arbitrii libertas ad bonum, & insequuta durissima servitus peccati.

Ioh. 8. v. 34. Rom. 6. v. 20. 2. Pet. 2. v. 19.

54 Peccatum est discrepantia à Lege Dei ex ordine justitiae divinæ ad poenam obligans.

Iohan. 3. v. 4.

55 Estque vel primum, quod primi nostri parentes ex suasu & instinctu Satanæ in paradyso commiserunt, transgrediendo mandatum, de non edendo fructu certæ arboris: vel à primo ortum, in quod tum ipsi protoplasti, tum ipsorum posteri naturaliter ex eis provenientes inciderunt.

56 Ortum peccatum, quatenus in posteris primorum parentum consideratur, duplex est: originale, quod ex parentibus in liberos velut hæreditarius quidam morbus derivatur: & actual, quod quotidie ab hominibus perpetratur.

Utrumq;

Utrumq; variè distingui solet, nos aliquot insigniores peccati actualis distinctiones adferemus.

57 Actuale peccatum aliud est gravius, aliud levius: idq; respectu vel subjecti & objecti, vel effectus & eventus.

58 Respectu *subjecti* peccatū est vel regnans, in quibus imperium obtinet firmatum: vel non-regnans in iis, qui etsi jugum peccati prorsus nequeunt excutere, illud tamen non desinunt querere & deplorare. *Rom. 6. v. 12. 1. Ioh. 3. v. 8. & 9.*

59 Respectu *objecti* peccatum committitur adversus vel *Deum*, qui impietate tum *doctrinæ*, tum *vite*: vel *proximum* æqualem vel inæqualem, qui injustitiâ tum *commutativâ*, tum *distributivâ*: vel peccatorem *ipsum*, qui intemperantiâ tum *dictorum* tum *factorum*, læditur. *Tit. 2. v. 12.*

60 Respectu *effectus* nimis vel noxx vel damni dati, peccatum aut est prævisum & destinatum à peccante, cui *scelus* adjunctum: aut prævisum quidem, sed non destinatum, cui *culpa* adjuncta: aut neque destinatum neque prævisum est, cui *error* adjunctus est.

61 Respectu *eventus* peccatum aliud est remissibile, aliud irremissibile.

62 Remissibile peccatū dicitur, non quòd suā naturâ sit *veniale* a, sed quòd ex gratia Dei per resipiscientiam & fidem in Jesum Christum credentibus sit sanabile, cujusmodi peccata omnia sunt, excepto uno. a *Gal. 3. v. 10. Rom. 6. v. 23.*

63 Irremissibile peccatum Scriptura vocat blasphemiam in Spiritum sanctum a, (per quem hoc loco non tertia S. Trinitatis persona, sed ejus cùnēp̄yda intelligitur,) item peccatum ad mortem b.

a Matth. 12. v. 31. b 1. Joh. 5. v. 16.

64 Blasphemia in Spiritum sanctum est, universalis à Deo ejusque veritate per Spiritum S. patefacta & agnita defectio: ex destinatâ malitiâ, contra conscientiam proficisciens, cælestemque veritatem odio & sive tyrannicâ, sive sophisticâ insectatione persequens, mortem æternam immutabiliter justo Dei judicio mercedis loco accipiens. *Ibid.*

65 Hoc peccatum in nullum omnino cadit electum a, neque in omnes reprobos, sed in aliquos tantum.

a 2. Tim. 2. v. 19.

66 Reprobi, in quos cadit hoc peccati genus, veritatem agnitam vel nondum sunt professi, ut olim Pharisei & Scribæ a, vel sunt eam amplexi & professi, ut Julianus Imper. & alii.

a Matth. 12.

67 Cùm verò hujus peccati forma intus magis lateat quam foris pateat, tantum scelus nemini temerè & facile est impingendum.

68 Sic de statu Naturæ: Gratiæ status est, in quo Deus Pater per Filium suum, Filius per Spiritum sanctum, Spiritus sanctus per verbum & Sacramentorum usum, imaginem divinam, salutarem-

D E S T A T U H O M I N I S . 73

taremq; arbitrii libertatem in electis *inchoativè* restituit.

69 Explicato statu hominis in hac vita: sequitur status post hanc vitam.

70 Status hominis post hanc vitam duplex est: gloriosus beatorum: ærumnosus damnatorum.

71 Gloriosus beatorum status, est plena imaginis divinæ & libertatis arbitrii ad bonum restitutio, ineffabilis beatitudo, & inexplicabilis vitæ æternæ possessio & fruitio.

1. Cor 2. v. 9.

72 Ærumnosus damnatorum status, est tristissima in tenebris infernalibus reproborum conditio, & perpetuorum cruciatuum miserrima atque intolerabilis passio.

Esa. ult. v. ult.

T I T U L U S X.

De Sacramentis.

Hucusq; actum est de divinæ Epistolæ, adeoque S. Theologiæ *contentis*: sequitur, ut ex ratione methodi agatur de theologicæ Epistolæ *sigillis*, quæ vulgo dici solent *Sacramenta*.

2 Sacramenta divina pro diversitate divinorum federum sunt diversa, corporalia & spiritualia.

D

3 Corporale sacramentum est, quo Deus promissionem federis corporalem confirmat: cuiusmodi est Iris seu arcus cælestis.

4 Iris respectu substantiæ post diluvium non fuit nova, sed respectu significationis, & ad novum usum institutionis.

Gen. 9. q. v. 9. ad 18.

5 Sacraenta spiritualia, sunt vel Legalia, vel Evangelica.

6 Legalia sacramenta sunt duo: arbor vitæ, & arbor mortis.

7 Arbor vitæ est sacramentum, quo primis parentibus nostris fructū arboris istius, Dei permisso comedentibus significabatur & obsignabatur immortali vita per perseverantiam in naturæ primogeniæ integritate obtinenda.

8 Arbor mortis *a*, sive scientiæ boni & mali *b*, est sacramentum, quo primis parentibus nostris significabatur & obsignabatur, eos in perpetuum immortali vitâ summo cum ipsorum bono conjunctâ, fruituros, si ab eis fructuū arboris hujus abstinerent, contrà autem, si fructum comedebent, eos magno cum malo in mortem ruituros. Hanc tamen arborem quidam pro sacramento non agnoscunt, eò quod signū iræ potius quam gratiæ fuisse videatur.

a ut vocat Chrysost. hom. 18. in Gen. b ut vocat Script. Gen. 2. v. 9. & 17.

9 Evangelica sacramenta alia sunt vetera, alia nova:

nova: quorum illa temporaria fuerunt, hæc vero
erunt perpetua.

10 Vetera sacramenta, fuerunt vel miraculo-
sa, vel communia.

11 Miraculosa sunt diluvium, transitus per
mare rubrum, nubes, columna ignis, manna, a-
qua ex petra, æneus serpens in deserto.

12 Communia fuerunt, vel vulgaria, vel no-
biliora.

13 Vulgaria fuerunt sacrificia frequenter ob-
lata, quæ Christi adventum præfigurarunt &
confirmarunt.

14 Nobiliora sunt, que gratiam in federe pro-
missam, & per Christum venturum obtainendam,
illustrius signarunt, & fortius obsignarunt: fue-
runtque celebrata vel semel tantum, ut circum-
cisio, vel quotannis, ut eis agni paschalis.

Gen. 17. Exod. 12.

15 Sacramenta nova, ad consummationem
mundi sunt duratura.

16 Ea sunt, Baptismus & sacra Cœna.

17 Ad intellectum institutionis Baptismi se-
quentes determinandæ sunt quæstiones.

1. Quid sit. 2. Quotuplex sit Baptismus.
3. Qui. 4. Quâ formâ. 5. Quibus ritib. 6. Quos
baptizare debeant.

18 Quid Baptismus sit, ex ejus definitione
tum nominali, tum essentiali patebit.

19 Etymon vocis si spectes, Baptismus est

D ij

76

T I T U L U S X.

quævis ablutio & purificatio, quæ fit per aquam.

20 Rem ipsam si respicias, Baptismus est ablutio ceremonialis, quâ Deus homini in Christū credenti testatur, se remisisse ei peccata propter effusionem sanguinis Christi, & velle cum magis ac magis regenerare: homo verò fidem Christianam profitetur.

Act. 2. v. 38. & c. 22. v. 16. Rom. 6. v. 4. Act. 2. v. 41.

21 Baptismus vulgò triplex est: *sanguinis*, & accipitur pro cruce & martyrio *a*: *fluminis*, & accipitur pro effusione donorum Dei visibilium, quibus instructi fuerunt Apostoli *b*: *fluminis*, & accipitur propriè pro sacramento.

a Marc. 10. v. 38. b Act. 11. v. 16.

22 Etsi autem hic Baptismus fluminis specie unus est *a*, distinctionem tamen in externum sive aquę *b*, & internum sive spiritus *c*, immerito quidam reprehendunt.

a Eph. 4. v. 5. b Ioh. 1. v. 26 c Matth. 3. v. 11.

23 Baptizare debet non aliquis privatus, in fictio casu necessitatis, sed minister verbi divini legitimè vocatus. Coniuncta enim sunt, docere Evangelium, & administrare Sacra menta: siquidem quibus dixit Christus: *Ite & docete, iis quoque dixit, Baptizate.*

Matth. 28. v. 19.

24 Forma Baptismi est, ut minister baptizet in nomen (*eis τὸ ὄνομα*) Patris, Filii, & Spiritus S. hoc est, in cultum.

25 Ritus

25 Ritus Baptismi sunt 1. Ut minister baptizet aquâ naturali, mundâ & communi, non adhibito oleo, non sale, non sputo, &c. 2. Ut baptizandus vel immergatur, vel aquâ aspergatur pro regionum diversitate. Hæc enim actio libera est Christianis, quia charitas & necessitas dispensant de ceremoniis, easque *ἐπιεικεία* quâdam temperant, quatenus id salvâ analogiâ fidei fieri potest.

26 Baptizandi sunt omnes & soli confederati, sive revera tales sint, sive probabiliter tales censeantur: item sive sint adulti catechumeni, qui ad Ecclesiam recens accedunt, fidemque & pœnitentiam profitentur, sive infantes in Ecclesia à parentibus fidelibus nati.

27 Hæc de Baptismo: sequitur alterum Ecclesiae Christianæ in perpetuum illius usum institutum Sacramentum, nimirum Cæna sacra, seu Dominica.

28 Sacra Cæna est secundum N. T. Sacramentum à Christo immediate institutum, quo Christianis jam adultis, baptizatis, & seipso probantibus, distributione & sumptione signorum visibilium, panis & vini, testatur, se tam certò corpus suum pro eis morti tradidisse, & sanguinem effudisse, quam certò panem hunc edunt, & vinum hoc bibunt.

29 Ad institutionē hujus Sacramenti rectius intelligendum, quatuor sunt attendenda: 1. Ri-

D iij

tus institutionis. 2. Scopus institutionis. 3. Modus manducationis corporis Christi. 4. Libertas fruitionis S. Cænæ.

30 Ritus, quos in administratione Cænæ usurpamus, & de quibus controversia est, sunt 5. Primus est, quod habemus mensas ad imitationem primæ Cænæ, non vero altaria: quæ unam cum sacrificiis, quibus erant destinata, adventu Christi sunt abrogata. 2. Usurpamus ad exemplum Christi & Apostolorum, itemque primitivæ Ecclesiæ, panem cibarium, vulgarem & usitatum: non hostias, tum quod veram nutriendi vim non habent, quam analogia Sacramenti requirit, tum quod à Pontifice Romano ad superstitionem sunt adinventæ. 3. Panem frangimus, & communicaturis decenter in manus porrigitus, partim propter exemplum & mandatum Christi, partim propter analogiam sacramentalem: Panis namque fractio, Christi corporis fractionem in cruce repræsentat; non integrum ori ingerimus. 4. Poculum non certæ alicujus materie aut formæ requirimus: sed cujuscunque (modò honestæ) recipimus. 5. Omnes communicaturos tam cibatos quam jejunos (modò in fide ac pietate accedant) admittimus; quia in Cæna prima omnes esu agni paschalis jam erant saturati, quum Sacramentum Cænæ fuit institutum & administratum.

1. Corinth. 11. v. 27.

31. Scopus institutionis seu finis Cænæ Dominicæ

minicæ est *œnōpēvnois*, h.e. non nuda historica cogitatio, sed recordatio mortis Christi, & beneficiorum morte illâ acquisitorū, conjuncta fide, quâ Christum ejusque beneficia nobis applicamus, & pro beneficiis acceptis gratias agimus.

32. Manducatio in cæna alia est externa, Symbolica & Ceremonialis, quâ signum corporis Christi ore corporis nostri manducamus, alia, Interna & Spiritualis, qua rei significatæ per fidem participes sumus. Utramque in sacræ Cænæ administratione debemus conjungere: hoc est, Panem, qui corporis Christi signum est, ore corporis nostri comedere, ipsum verò corpus Christi per panem significatum, ore animæ, hoc est, fide manducare.

33. Restat ultimum, qui ad Cænam accedere & admitti debeant. Accedere debent qui probare se valent, hoc est, qui 1. peccata sentiunt, fatentur & lugent. 2. Verâ fide sunt prædicti. 3. Pietatis studio flagrant. Admittendi sunt non solùm pii, sed etiam hypocritæ Ecclesiæ nondum patefacti, modò mysterium hoc intelligent, & interrogati intelligent rationem reddant.

1. Corinth. II. v. 28.

34. Quod autem Papa Romanus alia quinque, duobus istis N. T. Sacramentis, putâ confirmationem, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem & matrimonium conjungit, ab Apostolis non ita accepit,

D iiii

80. TIT. X. DE SACRAMENTIS.

35 Mirum autem meritò videri debet, quòd Papistæ matrimonium nunc ita extollunt, ut inter Sacra menta N. T. referant; nunc ita depriment, ut personis ecclesiasticis indignum censent. Quæ quomodo simul consistant, & cum scriptura consentiant, ipsi viderint.

Genes. 2. v. 18.

36 Cæterùm tria sunt potissimum quæ matrimonio repugnant. 1. cœlibatus monasticus. 2. divortium. 3. polygamia.

37 Cœlibatus, qui corpus castum ab omni scortationis specie retinet, & spiritum quoq; integrum atq; impollutum servat, Deo est gratus: at verò monasticus cœlibatus, qui ab honesto matrimonio ob illicitum votum abstinet, & scortationes impunè tolerat, est impunitatis stabulum & vagæ libidinis theatrum.

38 Divortium est ordinaria mariti & uxoris separatio: ob commissum ab alterutra parte adulterium, licet & liberè factum.

Matth. 19. v. 9.

39 Polygamia, qua uno eodemque tempore plures habentur uxores, primæ Dei institutioni repugnat, & per exempla Patriarcharum excusari nec debet nec potest.

F I N I S.

3051129

ULB Halle
003 144 682

3



56.

1977

S
L

B
A
R
3

W
U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

U
D
L
E

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres Inches

1 1
2 2
3 3
4 4
5 5
6 6
7 7
8 8
9 9
10 10
11 11
12 12
13 13
14 14
15 15
16 16
17 17
18 18
19 19



5. 4
RNOPSIS
ONOLOGIÆ
ACRÆ,
LIS MÆSTLINI
m Mathematici Tu-
ensis celeberrimi.
ARMONIA VITÆ
CHRISTI.
Accurante
ENTINO ANDREÆ.

INÆBURGI,
Typis JOHANNIS &
ICI STELLARUM.
M. DC. XLII.

A. S. 568.

1. Me 339